DISPVTATIVNCVLARVM

Grammaticalium libellus, ad puerorum in Scholis triuialibus exacuenda *ingenia primùm excogitatus:*

Iam verò denuò reuisus, & non pœnitenda obiectionum & solutionum multitudine *ad magnum studiosorum emolumentum & vtilitatem auctus & cumulatus,*

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Operâ & industriâ IOANNIS STOCKWOODI Scholæ Tunbridgiensis olim Ludimagistri.

Editio quarta: tribus prioribus castigatior, multoq; locupletatior.

SVNT AVTEM HIC OMNIA AD faciliorem explicationem & intelligentiam *eorum, quæ in Regia Grammatica* traduntur & docentur, accommodata.

AD BENEVOLVM LECTOREM.

Sum nouus: ecce nouo redeo vestitus amictu:
Auctior & multò, quàm prius ante fui.

Excusum *Londini*, Typis *Ioannis Battersbie*, Regiæ Maiestati in Latinis, Græcis, & Hebraicis Typographi.
1619.

TAM GENERIS PRO-
sapiâ, quàm virtutis insignibus, e-
ruditioníque & scientiæ elogijs præclaro
viro, *D. Gulielmo Sydleio*, Militi, sum-
mo bonarum literarum, literatorumq;
hominum fautori & patrono, IOAN-
NES STOCKVVOODVS *Scho-
læ Tunbridgiensis olim Ludima-
gister* εὐπραγεῖν, καὶ
εὐδαιμονεῖν.

Citè Ouidius (vir clarissime): Nauita de stellis, de tauris narrat arator: quod non immeritò mihi iam vsu venire experior. Non possum enim non sæpius, quoties per horas succisiuas licet, ad vetera, & antiqua studia recurrere, in quibus olim per multorum annorum spatium diligentissimè, & non infæliciter sum versatus, dum sedulò in instituenda iuuentute me exerceo, teneraq; puerorum ingenia, rerum Grammaticalium cognitione, (quod à me postulabat officij mei ratio) im-

 buere,

buere ſtrenuè laboro. Vt igitur artis iſtius præcepta illis faciliora, & familiariora efficerem, regularúmq; quæ in Regia Grammatica traduntur, intelligentiam animis eorundem altiùs imprimerem, varias in hac materia diſputandi formulas illis propono: varias obiectionum fraudes ad euertendam in ſpecie Grammatices fidem excogito, ſolidáſq; pro regularum veritate confirmanda ſolutiones oſtendo, eaſdémq; ſuadentibus quibuſdam eruditis & doctis amicis meis, Typographi operâ in lucem emitto. Has ſemel atque iterum multis ab hinc annis diligenter recognitas, cùm & multùm placere videram, & frequentibus ſtudioſæ iuuentutis manibus teri, & vſurpari intellexeram, diſtractíſq; iam pridem omnibus priorum editionum exemplaribus: auidè & certatim vt iam denuò excudantur, multis à me contendentibus, vehementérque efflagitantibus: eorum tandem victus & defatigatus precibus hoc opus rurſum aggredior, multóque quàm priùs auctius, & locupletius, exemplorumque multitudine, & copiâ abundantiore, ex optimis, & probatiſsimis quibuſque linguæ Latinæ ſcriptoribus repetita, in

vulgus

vulgus prodire patior. Et quanquam me non omnino lateat, quàm varia, multúmque inter sese discrepantia de hoc meo instituto futura sint hominum iudicia: maiorem tamen habui publicæ vtilitatis, quàm maleuolorum censuræ rationem. Non enim sum nescius, quàm multum faciant leues huiuscemodi concertationes, & exiles quasi velitationes ad acuenda rei literariæ tyrunculorum ingenia, quo possint & promptiùs, & expeditiùs de rebus similibus vel ex sese disputare, vel aliorum nodos, & tricas, in argumento non dissimili, multa cum facilitate dissoluere, nulloq; negotio eludere. Placuit verò has tertiò iam elaboratas lucubrationes, nouóq; & non pœnitendo quæstiunc ularum & solutionũ cumulo locupletatas, sub nominis tui (vir amplissime) fælici auspicio diuulgare. Tibi enim ob multa in me merita plurimum debeo, teq; ob varias & eximias ingenij, & eruditionis dotes, summúmq; in literas, & viros literatos amorem & beneuolentiam, eminentémque, quam tenes in reipublicæ, & iuris administratione, dignitatem, in omnes deniq; pios & probos candorem, veréq; pauperes & egenos

expromptam & munificam liberalitatem (cuius rei plurima, in omnium, quæ ad vitam ſuſtentandam pertinebant, inopia & maxima annonæ penuria, & caritate, non multis ab hinc annis egregia, & omnibus tui ordinis & loci viris imitanda argumenta, manu propenſa, hilariq; & alacri animo dediſti) veneror, omniq; officiorum genere & obſeruantia colo, & amplector. Læto ergo, quo ſoles erga alios vultu, hanc qualemcunq; grati animi ſignificationem accipe, próque illa, quâ polles ſingulari omnis cognitionis & ſcientiæ facultate, leuidenſi & craſſo filo hoc opuſculum in Iuniorum gratiam deſudatum, contra Momi, & Zoili venenatos dentes, petulantiſq; linguæ rabioſum liuorem, clementer & benignè tutari & defendere dignator. Tunbrigiæ, pridie Nonas annóq; à partu virginis 1606.

Amplitudini tuæ tuo merito deuinctiſſimus:
IOANNES STOCKVVOODVS Scholæ Tunbrigienſis olim Ἀρχιδιδάσκαλος.

In IOANN. STOCKWOODI *puerilium diſputatiuncularum libellum,* EDVVARDI GRANTAE Scholæ *Weſtmonaſterienſis Archididaſcali* carmen.

PRima cupis latiæ fundamina ponere linguæ?
Grammaticas leges diſcito parue puer.
Has διαζηλήσεις Stockwoodus diſcutit omnes,
Vt facili methodo noſcere cuncta queas.
Detruncat truncos, & ligna antiqua reſcindit,
Vt teneas latio ligna parata ſono.
Huc properes (ſtudioſa cohors), hos collige truncos,
Quos tibi Stockwoodi ſedula cura parat.

IOANNES STVDLEYVS.

LAſſus vt obſcuro Theſeus iacuiſſet in antro,
Neſcius obliquas ire, redire vias;
Si non porrecto tractaſſet pollice filum,
Quod manus alterius neuit ad eius opem:
Sic ſtudioſe puer labor arduus eſt tibi forſan,
Grammatices cæcas ire, redire vias,
Ni prius arripias filum, rectéque ſequaris,
Quod tibi Stockwoodi neuit amica manus.
Ecce tibi nodos, quos neſcis ſoluere, ſoluit,
Et tibi difficiles apperit ille vias.

LAVRENTIVS DEIOSIVS.

AVspice Stockwoodo pueri iam prælia miscent,
Stockwoodi ingenio tela parata vibrant.
Authoris nomen stipes lignumque resignant:
Authoris non sunt lignea tela tamen.
Vulnera Grammaticis infligunt, atq́ Poëtis:
Ferrea vis telis est aciesq́ tuis.
Vulnera quæ faciunt, illis tua tela medentur:
Agnosco medicam vimq́ manumq́ simul.
His igitur telis iam concertate puelli:
Quæ lædunt, sanant; quæ nocuere, iuuant.

MICHAEL WILSONVS, SCOTVS.

ΣΟὶ νεανίσκε σοφῶς ζητήματα πρῶτα δέδωκε
Γραμματικὴς Στοκύωδ, μείζονα νύνδε λαβέ.
Εἰ περιποστήσῃς σύ παρνασσοῖο κορυφὴν
Ὑψηλὴν, ὀρθὴν σοι παρεδείξεν ὁδὸν
Εἴσαιν ἠδε θέας συνείξης σοὶ φιλόμȣσας,
Κώλυμα Στοκυώδȣ πᾶν ἀποθήκε πόνος.

Eiusdem.

QVis hortulus produxerat
Hos flosculos volentibus,
Voluente se Maio nouo,
Ornare sertis tempora?
Plantarat hos? induxerat
Horum areis quis Lympidas
Aquas rigantes? Carpserat

Quis?

Quis? Nomine es clariſſimus
Stockwoode, mî chariſſime,
Exercitationibus
Non deſinas huiuſmodi,
Rebus prodeſſe publicis.
Οὕτω βρεταννοῖς οὐ μόνον
Χαρίεις ἔσῃ, πᾶσ' ἀλλ' ἀνδράσιν
Κάσμῳ, δέῳ χ' φίλταλος,
Τάλαντα μὴ δαπλόμενος

IN IOAN. STOCKVVOODI SCHOLAE Tunbridgienſis aliquando Ludimagiſtri libellum *puerilium diſputatiunicularum, Carmina* gratulatoria ſuorum quorundam tunc temporis & loci diſcipulorum, ad perpetuam erga eundem grati animi ſignificationem.

Ad IOAN. STOCKVVOODVM quondam præceptorem ſuum, Guliel. Hatcheus Scholæ Tunbrid. Archididaſcalus.

OPtima Grammaticæ teneris præcepta dediſti,
Præceptor pueris ſedulus ipſe tuis.
Abreptus ſtudijs poſtquam granioribus eſſes,
Hiſce nec exiguis rebus adeſſe vacat:
Triſte tuis χαιρειν dicis, ceſſaſque docere,
Sic tamen vt multis Gymnaſiarcha ſies.
Præſentes paucos ſuauis tua lingua docebat,
Abſentes multos penna ſonora docet.
Sic quamuis taceas, tacitus tamen inſtruis omnes,
Scilicet ipſe taces, ſed tua ſcripta docent.

Ad

QVæ tibi munifica Stockwoodus munera dex
Largitur, grata percipe mente puer. (tra.
Exiguus mole eſt, ipſo neque nomine maior,
Attamen eſt ingens nobilitate liber.
Grammaticæ videas multos præcepta fideli
Mente reuoluentes, vtpote verba tenent:
Obijcias ſi quid, canonum ſi ſenſa requiras,
Hic labor, hoc opus eſt: inſcia lingua ſilet.
Hic liber exiguus ſenſum docet, ardua ſoluit,
Dum διαζητήσι plurima diſcutiat.
Credas Grammaticæ bellum indixiſſe Poëtas,
Hic lites dirimens, nil minus eſſe docet.
Inſuper & linguas puerorum format, & illos
Verba quibus diſcant diſſeruiſſe docet.
Hunc (ſtudioſe puer) ſtudioſa mente reuolue,
Exiguus liber eſt, vtilitate minor.

In. Zoilvm.

ZOilus hæc forſan puerilia ridet, & altum
Dum ſapit, illa petit, quæ grauiora putat.
Hæc pueris dantur puerilia, cedite docti,
Hæc pueris proſunt, vos grauiora manent.

Gvliel. Dixonvs, Oxoniensis.

QVantũ capta ſuo debebat Roma Camillo,
Cuius vi pulſus barbarus hoſtis erat:
Tantum ijs, qui ſolidè peregrina fæce remota,
Natiuum decus vt reſtituatur, agunt,

Romanus

Romanus debet ſermo. Quicunque teneb
Partem opere in tanto, iure Camillus erit.
Tentarunt opus hoc alij, cœlumque ſecuti,
Expanſis velis æquora lata domant.
Tu Stockwoode, memor, quorũ hæc edantur in
Littora ſecuro tramite ſumma legis. (vſum,
Nempe hoc eſt vni ludum cum clauſeris vrbi,
Anglorum genti mox aperire ſcholam.

GVLIEL. ATTERSOLDVS CANTABR.

ACcipe Grammaticæ (lector) primordia noſtræ,
Quæ tradunt pueris plurima digna legi.
Cernis vt ipſa domus, ſi non bene ſulta ſub imum;
Funditus immenſo pondere preſſa ruat.
Maxima fabrilis reſeranit vt oſtia clauis:
Atq; iter optanti progredienda via eſt.
Quid tibi magnificas ædes, niſi ianua pandit?
Nonne vrbem intranti porta petenda manet?
Ianua, porta, viæ, clauis, fultura ſciendi
Singula, Grammaticæ ſunt elementa tibi.
Ergo celer tanti doctiſſima ſcripta magiſtri
Perlege, pande, para, dilige, diſce, doce.

Eiuſdem Iambi in Zoilum. (quid eſt?

QVid eſt, quod huc Zoile properans venis?
Carpens amaris dentibus libellulos?
Vel approbes noſtros, vel excudas tuos.
Abi, nihil quod mordeas hîc eſt, abi.
Vis ſcire ſenſum Grammaticæ apertum tuæ?
Obiectiones cum ſolutionibus?

Vis

Vis imperitos ducere ad scientiam?
Hic (more differentium) docet liber.
I Zoile, si nihil coles, culpa nihil.

ROBERTVS PORTERVS.
Cantabr.

Si titulum spectes, pueriles conspicis artes,
Si rem contractes, ecce virile decus.
Languida tradentem fugias præcepta magistrum,
Vincula Grammaticus respuat arcta nimis.
Grammaticas animo leges qui ponderat alto.
Quique sub obscuras eruit arte vias:
Abdita, qui claris, certisq; incerta resoluit:
Is sit discipuli dúxque, comésque boni.

PETRI FRENCHEI CANTABR.
Carmen Paraneticum.

GRammatices cupias varias abscindere lites,
Heus puer, hunc gratũ perlege sæpe librũ,
Vincere quo discas socium, nec victus ab illo
Tunc fueris, animo si bene tenta tuo
Hæc habeas paruo ῥητήματα scripta libello:
His benefac studijs (clara iuuenta) tuis.
Cuncta suis discussa locis, & plana videbis.
Nam studij pretium sic tibi grande datum est.
Iste liber pueris obscura sophismata passim
Intellecta prius, non bene, clara facit.
Intulit vt paucis inscriptaque dogmata chartis,
Sic planum pueris & breue fecit iter.

Eiusdem

Eiusdem Distichon.

ΣΟῦδε χάριν χαριτές τε φίλον ποτὲ δῶμα λιποῦ-
Εἰς παῖδας μοῦσαι νῦν μετεθέντο χορόν. (σαι,

IOANNES TVRNERVS OXON.

NVnc variata nouo prodit Syntaxis amictu,
Vndiq; collectis nunc micat illa comis.
Perdiscas veteres, veterum quoq; scripta reuoluas,
Attamen hîc fructus, lausque laboris erit.
Nunc licet ardentes sitientem pellere flammas,
Hîc manat placido murmure dulcis aqua.
Neue reformides summi decliuia montis,
Quòd via solliciti plena laboris erit:
Quippe subobscuros hæc flexus eruit artis,
Melle fluénsque tibi sedula finxit apis.
Arbor habet fructus, stirps est cui lignea: succo
Restat ad extremam posse manere diem.

GVLIELMVS BVDGENVS

Oxoniensis in Authorem.

PErge precor meritis nos deuincire: quod
Iam dare non poterit, serior hora dabit. (ista

Eiusdem in laudem operis.

EN fructus plantæ, diuus quam seuit Apollo
Apposuit succum docta Minerua suum.
Brachia Calliope tribuit, Polymnia frondes,
Germina Mercurius, nuncius ipse Iouis.
Florida diuinis manibus, quæ creuerit arbor
Aurea multa dabit, lignea nulla ferens.

Eiusdem

Eiusdem ad Lectorem.

ADsis, discе puer, quæ te liber iste docebit,
Non pretio magnus, maximus arte tamen.
Instar erit matris, dabit vbera plena petenti,
Scribere si cupias, vel bene posse loqui.
Omnia quid memorē? pro se liber ipse loquatur;
Fallere spem nescit, si modò sæpe legas.
Scilicet inuenies, hæc si certamina voluas,
Docto digna viro, digna labore tuo.

Ad Authorem, Gulielmi Pyxi, Oxon.
Carmen gratulatorium, &
ἐγκωμιάστικον.

CVr mea Musa siles, cum sit tibi causa canendi?
Culpa tacentis erit, cur mea Musa siles?
Mæonio quamuis dilaudant carmine musæ
Aoniæ, docti scripta polita viri:
Te non suppudeat gratum superaddere carmen,
Quo poteris dignum concelebrare virum.
Persoluit meritas tibi (vir doctissime) grates
Nostra, sed has tremula voce Camœna canit.
Voce Camœna canit tremula, quia voce fatetur
Publicitùs nondum se cecinisse typis.
Semper at obscuris intus latuisse latebris,
Vultus sordidulos occuluisse suos.
Attamen vt gratus videar, videárque modestus,
Ista voluntatis tessera sunto meæ.
Te non diffiteor, multos alüisse per annos:
Te non diffiteor, me docuisse tua

Sedulitate:

Sedulitate : fuit quando mea messis in herba,
Quando Grammatices inscius artis eram.
Quot tulit Oxonium, quot Cantabrigia alumnos,
Quos te (nunc claros) instituisse liquet?
Et queis Pierides, queis docta Academia laudes,
Queisque Minerua suis, contribuere suas.
Hi laudis testes, hi sint monumenta laboris,
(Olim Tunbrigiæ Gymnasiarcha) tui.

Eiusdem ad Lectorem
ὀκτάςιχον.

ORator quicquid, quicquid doctusue poëta
Spinosum in scriptis inserüere suis,
Tractat Grammaticum tibi γαζοφυλάκιον istud:
Soluere te gryphos Grammaticósque docet.
Laudato artificem, cliuo quod sudet in isto,
Texat & hoc studijs auxiliare tuis.
Laudato artificem. Nam res est plena laboris,
Eloquij plenum, dulcis & artis opus.

Eiusdem, Authoris nomine ad candidum Lectorem *Tetrastichon.*

NOn vereor Criticum, mordenti aut dente Theo-
In quorum peragar forsitan ore reus: (nem,
Dum (Philomuse) tibi prosint, placeantq́ labores
Nostri, Socratico quisquis amore legit.

τοῦ αὐτοῦ.

Τίπτε λόγων ἀνδρὸς μελιοδῶν, τίπτε μογέρου
Γνωμονικοῦτε κόπων δύσκολε μῶμε μυᾷς:

Ος

Ὃς περὶ γραμματικῆς παντείων ἐξόχος ἄλλων
Ἔγραφεν, ὀψίγονοις κέρδεα πολλὰ φέρων.
Εὐφρονέον τοίνυν τόδε μοὶ κρήτυνον ἐέλδωρ
Ἄντιδος ἐν πάχων αὐτὶ πόνοιο, κλέος.

FVLCVS MARTIALIS, *Cantabrig.*

DVlcia præsentis legito præcepta libelli,
Doctrinæ ad fructũ, qui tibi monstrat iter.
Quem, charo doctus patriæ deuinctus amore,
Stockwoodus finxit, commoda multa ferens,
Si placet ergo tuam studijs intendere mentem,
Ingenij cultus queis capiendus erit:
En (Philomuse) tibi multò locupletius auctum
Principium, à priscis quàm fuit ante viris.
Hos igitur digitis properantibus arripe fructus,
Quos tibi Stockwoodi sedula cura dedit.

THOMAE THORPI OXON. in Authorem libri carmen.

Descriptio disputationis anniuersarię inter Scholasticos Tunbrigenses secundo die Maij haberi solitæ, coram ornatissimis eiusdem Scholæ Moderatoribus.

MEnsis erat, mensis Maiorum nomine dictus,
Auroram Phaetontis equi iam luce vehebvt,
Cum schola Tunbrigiæ, schola tantis inclyta alũnis,
Pierijsque superba suis, certamina pandit.
Musa minans musæ est, & pugnat Palladi Pallas.
Græcia sidereo non sic glomerauit Olympo,
Cum facit Eliadum palmas Epeiros equarum,
Vt Mæcenatum Londini ex vrbe relicta,

Tunbrigiæque

Tunbrigiaque ſcholas, atq; vrbis turma per arces
Peruolat huc, rutilo poſtquàm diſcumbitur oſtro;
Illi aptat, primam meruit qui laude coronam,
Auro perfuſam (fulgentia munera) pennam:
Et ſacras alij pennas ſex præmia primi
Accipiunt, meritáque caput nectuntur oliua.
Sed quid materiam non ſumo viribus æquam?
Artes hæ (Stockwoode) tuæ, tua munia ſunto,
Qualiter Æneadas terraq;, mariq; potentes
Depinxit Maro: ſeu quali lyricus ore
Pindarus Aſthmiacam deſcripſit carmine pugnam:
Tale tuum carmen nobis diuine Poeta,
Dum mihi Grammaticam pertractas ordine litem.
Hæc dici potuiſſe, hæc non potuiſſe refelli.
O ſchola quàm fœlix, quæ tot virtutibus aucta es!
Bis fœlix, cuius non deſunt præmia laudi:
Ter fœlix, præconem habeas quæ laudis Homerum.

In diſputationes Ioan. Stockwoodi, Caleb. Birdaci carmen *Encomiaſticon.*

ANne cupis variâ verborum ſcire ſynaxin?
Annè ignota cupis diſcere (alumne), veni.
Si pueri guſtum cupiunt è nectare puro
Ducere, Stockwoodi teſta referta manet.
Crede manet, maneantq; precor per ſêcla labo-
Auxilio patriæ, quod facit omne, facit. (res:
Illius auſpicijs montes Heliconis adimus:
Illius auſpicijs Palladis arte cales.

Ergo agite (ô iuuenes) validis incumbite remis,
En quæsita diu commoda multa tulit.
Commoda multa tulit, animos intẽdite vestros:
Hîc requies menti, corporibúsq; quies.
Hîc docet indoctos doctis contendere pugnis,
Pieridum sine queis corpora nuda iacent.
Hîc stirpis plantæ: stirpescunt semina stirpis,
Hîc lignum sine quo crescere planta nequit.
Hæc stirps poma dabit, non est & inutile lignũ,
Stirps lignúmq; tibi commoda multa ferunt.
Carpito fronde rosas, & carpito dũ noua stirps
(Diua cohors iuuenũ) perlege, disce, tene. (est,

In Ioan. Stockwoodi disputatiun-
culas, Roberti Hethæi Tunbridg.
τετράστιχον.

IVcunda, eximio potiaris fronte, libello,
Quem tibi Stockwoodi cura, labórq; dedit.
Hunc cape, si cupias prædoctæ dona Minervæ,
Nec parvum studys ille levamen erit.

FINIS.

ELENCHVS,

siue Index quæstionum *in vnaquaque huius libelli* disputatione tractatarum,

annotatis vbique in margine, quæ in tertiâ editione accesserę.

DISPVTATIO PRIMA.

DE numero partium orationis, habétque vnicam quæstionem.
Quæstio. *An octo sint tantùm orationis partes?* 1

DISPVTATIO SECVNDA.

De nominis definitione, & accidentibus.

QVÆSTIONES.

Prima. *An vera sit nominis definitio?* 2
Secunda. *An quinque sint tantùm nominum declinationes, sub quarum aliqua nullum sit nomen, quod non possit contineri? Et vtrum sint veræ regulæ Grammaticales, quæ de his traduntur?* 3
Tertia. *An habeant nomina neutralia tres casus simules, qui in plurali numero semper exeunt in A?* 4

In tertiâ editione recens addebatur hæc disputatio.

Alia disputatio in hoc argumento.

QVAESTIO.

5 *An nomina neutrius generis habeant in vtroque numero, nominatiuum, accusatiuum, & vocatiuum similes, qui quidem casus in numero plurali semper desinunt in* A *?*

Disputatio de terminatione vocatiui singularis à nominatiuo in *us*, in secunda declinatione.

QVAESTIO.

6 *An vocatiuus singularis in secunda declinatione exeat in* E, *cum nominatiuus singularis desinit in* us *?*

Disputatio de quinq; nominis declinationibus seorsum & sigillatim per se consideratis.

QVAESTIO de prima declinatione.

7 *An omnia nomina primæ declinationis flectantur secundum terminationes casuales eiusdem declinationis in vtroque numero ?*

QVAESTIO de secunda declinatione.

8 *An omnia nomina secundæ declinationis flectantur secundum terminationes casuales eiusdem declinationis in vtroque numero ?*

QVAESTIO de tertia declinatione.

9 *An omnia nomina tertiæ declinationis flectantur secundum*

secundum terminationes casuales eiusdem declinationis in vtroque numero?

Quæstio de quarta declinatione.

An omnia nomina quartæ declinationis flectantur secundum terminationes casuales in vtroque numero? 10

Quæstio de quinta declinatione.

An omnia nomina quintæ declinationis flectantur secundum terminationes casuales eiusdem declinationis in vtroque numero? 11

Disputatio de nominum propriorum genere.

QVÆSTIO.

An veræ sint regulæ Grammaticales de generibus nominum propriorum? 12

Disputatio de nominibus appellatiuis, siue communibus.

QVÆSTIO.

An nihil contineant in se falsitatis, quæ traduntur de generibus nominum appellatiuorum, siue communium, regulæ? 13

Disputatio de hisce adiectiuis, *Vnus, totus, solus, vllus*, & reliquis.

QVÆSTIO.

An hæc adiectiua faciant genitiuum singularem in ius, *datiuum in* i, *vt docet Grammatica?* 14

Disputatio de Heteroclitis.

QVÆSTIO.

15 *An Heteroclitorum regulæ nihil contineant, quod*
01 *meritò reprehendi possit?*

Disputatio de comparatione nominum.

QVAESTIO.

16 *An tres sint tantùm comparationis gradus & vera*
11 *sint omnia, quæ de his affirmantur?*

Disputatio de pronomine.

QVAESTIO prima.

17 *An quindecim sint pronomina, & omnia vera, quæ de illis docentur?*

Secunda QVAESTIO.

18 *An tres sint tantùm pronominum personæ?*

Disputatio de pronominis definitione.

QVAESTIO.

19 *An vera sit pronominis definitio?*

Disputatio de numero pronominum aliter, quàm paulò superiùs tractata.

QVÆSTIO.

20 *An sunt tantùm quindecim pronomina, nec plura, nec pauciora?*

De verbo disputatio.

QVAESTIO prima.

21 *An vera sit verbi definitio?*

Quæstio

Quæstio secunda de verborum generibus, modis, & temporibus.

QVÆSTIO.

An vera sint, quæ habentur in Grammatica de generibus, modis, & temporibus verborum? 22

Disputatio de verborum coniugationibus.

QVÆSTIO.

An quatuor sint verborum coniugationes, ad quarum aliquam nullum sit verbum, quod non referri possit? 23

Vlteriùs de verborum coniugationibus paulò aliter quàm superiùs disputatur.

Quæstio prima.

An quatuor sint tantùm verborum coniugationes? 24

Quæstio secunda.

An vera sit hæc regula: As in præsenti, perfectum format in *aui?* 25

Quæstio tertia.

An omne verbum sit personale, vel impersonale? 26

Quæstio quarta.

An veræ sint regulæ de formatione præteriti temporis in verbis tam actiuæ, quàm passiuæ formæ? 27

De participio disputatio.

Quæstio prima.

28 *An vera sint omnia, quæ traduntur in Grammatica de generibus, & significatione participiorum?*

Quæstio secunda.

29 *An verè sint regulæ, quæ habentur de numero participiorum ab vnoquoque genere verborum personalium descendentium?*

Quæstio tertia.

30 *An verè sint regulæ Grammaticales de terminatione, & formatione participiorum præsentis temporis?*

Quæstio quarta.

31 *An formetur participium futuri in* (rus) *à posteriore supino, addita syllaba* (rus)?

Quæstio quinta.

32 *Num verba actiua, & neutra duo habeant participia, vnum præsentis temporis, alterum futuri in* (rus)?

Disputatio de Gerundijs, & Supinis.

QVAESTIO.

33 *An efficiant per seſe Gerundia, & Supina distinctas orationis partes? Vel vtrùm possunt sub aliqua octo partium orationis contineri?*

Disputatio de quatuor indeclinabilibus orationis partibus.

QVÆSTIO.

34 *An quatuor sint indeclinabiles orationis partes?*

&,

&, An omnia sint vera, quæ de illis docet Regia Grammatica?

Disputatio de tribus Concordantijs, ac primùm de prima, inter nominatiuum, & verbum personale.

QVÆSTIO.

An semper cohæreat verbum personale cum suo nominatiuo, numero, & persona? 35

Disputatio de secunda concordantia, substantiui & adiectiui.

QVÆSTIO.

An adiectiuum cum substantiuo casu, genere, & numero consentiat? 36

Secunda disputatio in hac ipsa quæstione. 37

Tertia disputatio in eádem quæstione. 38

Disputatio de tertia concordantia, relatiui & antecedentis.

QVÆSTIO.

An relatiuum cum antecedente concordet genere, numero & persona? 39

Disputationes de nominum regimine.

QVÆSTIO.

Cum duo substantiua diuersæ significationis concurrunt, an posterius in genitiuo poni debeat? 40

Disputatio de adiectiuis ad copiam, egestatémue pertinentibus.

QVÆSTIO.

An adiectiua, quæ ad copiam, egestatémue pertinent, 41

pertinent, ablatiuum, vel genitiuum desiderent?

Disputatiuncula de regimine adiectiuorum, dignus, indignus, &c.

QVAESTIO.

42 *An hæc adiectiua, dignus, indignus, & cætera, semper iungantur ablatiuo, vel genitiuo?*

Disputatio de regimine verborum.

Quæstio prima.

43 *An* sum, forem, fio, *& similia, vtrinque nominatiuum expetant?*

Disputatio secunda de eádem quæstione.

Quæstio secunda.

44 *Quem casum regunt* sum, forem, fio, *cum verbis optandi, & similibus?*

Disputatio de accusatiuo ante verbum infiniti modi.

QVÆSTIO.

45 *An verba infiniti modi pro nominatiuo accusatiuum ante se statuunt?*

Disputatio de regimine verborum acquisitiuè positorum.

QVÆSTIO.

46 *An verba acquisitiuè posita regant datiuum tantùm?*

Disputatio

Disputatio de regimine horum verborum, *vtor, fungor, fruor, potior, &c.*

QVÆSTIO.

An regant hæc verba, vtor, fungor, frùor, potior, *& similia ablatiuum?* 47

Disputatio de regimine verborum impersonalium.

QVÆSTIO.

An illa omnia verba sint pro impersonalibus accipienda, quæ talia esse affirmantur in Grammatica? Et num eosdem etiam casus regant, qui ibidem exprimuntur? 48

Disputatio de quatuor orationis partibus indeclinabilibus, eorúmque regimine.

QVÆSTIO.

An possint defendi regulæ, quæ de regimine quatuor partium orationis indeclinabilium traduntur? 49

Disputatio de carminum ratione, siue de primarum syllabarum quantitate.

QVÆSTIO.

An vera sint omnia, quæ habentur in Grammatica de primarum syllabarum quantitate? 50

Disputatio

Disputatio secunda de quantitate vocalis ante vocalem.

QVAESTIO.

51 *An brevis sit vocalis ante vocalem in eadem dictione?*

Disputatio tertia de quantitate diphthongorum.

QVÆSTIO.

52 *An omnis diphthongus apud Latinos longa sit?*

Disputatio quarta de ratione cognoscendi primarum syllabarum quantitatem.

QVÆSTIO.

53 *An possit primarum syllabarum quantitas ullo modis cognosci?*

Disputationes de regulis vltimarum syllabarum.

Quæstio prima.

54 *An vera sit prima regula de quantitate vltimarum syllabarum? hoc est, An (a) finita producantur?*

Disputatio secunda de quantitate vocabulorum in (o) finitorum.

Quæstio secunda.

55 *An communes sint omnes dictiones in (o), quibusdam exceptis?*

Disputatio

Disputatio altera de dictionibus in (*a*) finitis.

Quæstio tertia.

An nominatiui, accusatiui, & vocatiui in (*a*) *breues sint?* 56

Disputatio quarta de quantitate dictionum in (*t*) finitarum.

Quæstio quarta.

An breuia sint, quæ in (t) *desinant?* 57

Disputatio quinta de quantitate obliquorum in (*is*)

Quæstio quinta.

An longi sint obliqui plurales in (is)? 58

Disputatio sexta de quantitate vocabulorum in(*os*).

Quæstio sexta.

An producantur regulariter voces in os? 59

Disputatio septima de quantitate dictionum in (*us*).

Quæstio septima.

An breuia sint, quæ terminantur in (us)? 60

Disputatio octaua, & vltima, de carminum generibus.

Quæstio octaua.

Quot sunt Carminum genera apud Latinos: & qui sint pedes peculiares Carminis Hexametri, siue Heroici? 61

DISPV-

DISPVTATIVNCVLARVM PVERILIVM de rebus Grammaticalibus variæ formulæ, ad studiosorum Vtilitatem elaboratæ.

DISPVTATIO PRIMA, de numero partium orationis.

QVAESTIO PRIMA.

An octo sint tantùm partes orationis?

Præfatiuncula.

Quæst. Cum nulla re magis acuantur puerorum ingenia, quàm crebris, de rebus vtilibus, disputationibus, libet tuorum in re Grammaticali (condiscipule charissime) progressuum, paucis propositis quæstiunculis, periculum facere.

Resp. *Ego itidem (contubernalis optime) me pro viribus ad respondendum accingam, propone itaque quæ volueris.*

Quæst. Primùm abs te quæro, quot sentias esse partes orationis?

Resp.

Resp. *Quæstio quidem ardua & perquàm difficilis.*

Quæst. Quò facilior est quæstio hæc, eò promptiùs & expeditiùs potes respondere. Dic ergo apertè quot sint orationis partes?

Resp. Octo sunt.

Quæst. Nec plures, nec pauciores?

Resp. *Maximè.*

Quæst. Ego probabo vnicam esse solummodò orationis partem, eámque nomen duntaxat.

Resp. *Videamus tandem quàm dextrè hoc præstare possis.*

Vnicam esse orationis partem.

Quæst. Septem reliquæ partes orationis sunt nomina: ergo vnica solummodò orationis est pars.

Resp. *Septem reliquæ orationis partes non sunt nomina.*

Quæst. Pronomen est nomen, verbum est nomen, participium est nomen, & ita de reliquis: ergo vnica solummodò orationis est pars.

Resp. *Pronomen non est nomen, nec verbum est nomen, nec reliquæ partes orationes sunt nomina.*

Quæst. Pronomen inflectitur hoc pronomen, pronominis; verbum inflectitur hoc verbum, verbi, & ita de reliquis. Manifestè igitur vides omnia hæc esse nomina.

Resp.

Resp. *Captiosa & fallax est hæc tua argumentatio, à rebus ad rerum vocabula. Fateor enim hæc vocabula pronomen, verbum, participium, & cætera, esse nomina: res verò per illa vocabula significatâ non sunt nomina.* Superioris captiunculæ solutio.

Quæst. Satisfacit mihi vtcumque hæc tua responsio: verum alia ratione adhuc euincam, non esse octo partes orationis.

Resp. *Facile est hoc dictu, sed non ita facile fortasse probatu.*

Quæst. Quid ni esset eadem facilitas in vtroque? sic itaque quod asserui probabo.

Resp. *Age ergo.*

Quæst. Si octo sint tantùm orationis partes, tunc pronomen & participium non sunt nomina: sed pronomen & participium sunt nomina: ergo non sunt octo, sed quinque solummodò partes orationis. Alia ratio.

Resp. *Si loqueris de nudis hisce vocabulis, pronomen scilicet, & participium, priùs est tibi à me satisfactum. Concedo enim nuda hæc vocabula esse nomina: res verò per illa significatæ non sunt nomina.*

Quæst. Loquor de rebus ipsis, non de vocibus solummodò.

Resp. *Nego itaque illa esse nomina.*

Quæst. Quæ sequuntur nominum inflectionem, ea omnia sunt nomina: pronomen & participium sequuntur nominum inflexionem:

ergo pronomen & participium ſunt nomina.

Reſp. *Pronomen & participium non ſequuntur nominum inflexionem.*

Quæſt. Cur non eádem temeritate negas ipſo meridie ſolem lucere?

Reſp. *Quaſi verò illud prius tàm eſſet manifeſtum, quàm hoc poſterius.*

Quæſt. Non magna eſt profectò diſcrepantia. Sed omiſſis verborum ambagibus ſtrictiùs tecum agam, & quod dixi, hac ratione euincam.

Reſp. *Bene habet: hoc ſi effeceris, virum te ſtrenuum & fortem oſtenderis.*

Quæſt. Quæcunque habent illa, quæ nomini ſunt peculiaria & propria, illa ipſa ſunt nomina: ſed pronomen & participium habent illa, quæ nomini ſunt peculiaria & propria, nempe numerum, caſum, genus, & declinationem: ergo pronomen & participium ſunt nomina.

Sunt hæc, vſque ad hunc aſteriſcũ * iam demum addita.

Reſp. *Nôſti tamen habere nomen gradus comparationis, quibus carent ſcilicet pronomen & participium.*

Quæſt. Multum tu ſcilicet à rei veritate aberras, nec videris regularum grammaticalium ſatis eſſe peritus.

Reſp. *Non ſum ego rerum Grammaticalium tàm imperitus, quàm es tu nugator & canillator callidus & aſtutus, qui mecum tam ſubdolè & verſutè diſceptes.*

Quæſt.

Quæst. Quid ita demum?

Ipsissimus, & tuissimus leguntur aliquando.

Resp. *Quia pronominum comparatio valde est rara, inutilis, & manca: participia verò siquando comparentur, non sunt reuera participia, sed migrant in nomina, suntque potius nomina participialia quàm participia dicenda.*

Quæst. Sed quid tandem respondes superiori argumento?

* Superioris rationis solutio.

Resp. *Est illud tuum argumentum (ô bone) infirmum, insufficiens, debile, & mancum.*

Quæst. Ostende quæso, qua ratione?

Resp. *Faciam verò, & nihil libentiùs. Respondeo igitur pronomen & participium habere quædam, quæ sunt nomini propria, vtpote numerum, casum, genus, & declinationem, atque hactenus conuenire cum nomine. Sed habet præterea vtraque hæc pars orationis quædam sibi peculiaria & propria, in quibus cum nomine non communicant, & proinde efficiunt per sese alias, & peculiares orationis partes.*

Quæst. Quænam verò sunt illa?

Resp. *Pronomen habet personarum differentiam, quam nomen nullo modo admittit: participium verò & tempore, & significatione differt à nomine, & proinde nomen esse nequit.* Scio etiam recentiores quosdam scriptores, eosdemque doctos & literatos viros facere pronomen & participium, vnam & eandem orationis partem cum nomine, ob similem fortasse cum nomine inflectendi rationem. Nos*

* Quæ sequuntur ad finem huiusce responsionis nunc primùm addunctur.

tamen Regiæ Grammaticæ ſequemur autoritatem, quam pro viribus ad aras vſque tutabimur, & defendemus.

Quæſt. Placet mihi quodammodò hæc tua reſponſio. Pergamus igitur ad aliam quæſtionem.

SECVNDA DISPVTATIO DE nomine, & eius attributis.

PRIMA QVAESTIO.

An vera ſit nominis definitio?

Quæſt. Cùm prius de numero partium orationis ſatis pro ingeniolorum noſtrorum modulo inter nos diſceptatum & digladiatum fuerit, iam (ſi placet) virium tuarum periculum faciam in tutanda & defendenda nominis definitione.

Reſp. *Me ſatis validum & robuſtum fortaſſis inuenies, & proinde incipe, ſi quid habes, in me mora non erit vlla.*

Quæſt. Dic ergo apertè quid voces nomen?

Reſp. *Nomen in Grammatica noſtra definitur pars orationis rem ſignificans, ſine vlla temporis, aut perſonæ differentia.*

Quæſt. Ego facilimè, & nullo negotio omnes iſtius definitionis partes concutiam, & conuellam.

Reſp.

Resp. *Audio Thrasonicam militis gloriosi iactantiam. Sed omissis verborum ampullis, firmis argumentis nobis ostende, qui vir sies.*

Quæst. Tu virium mearum periculum non sine magna nominis tui ignominia facies, si vel respondendo hæsites, vel interrogatiunculis meis parum dextrè satisfacies.

Resp. *Noli de me (quæso) esse solicitus, Miseret me tui potius, tuasque vices doleo, qui tam duram in te prouinciam susceperis.*

Quæst. Ain' verò? videamus igitur qua ratione poteris huius teli ictum deuitare. Sic enim contra nominis tui definitionem insurgo.

Resp. *Audiamus tandem quid possis.*

Quæst. Si omne nomen significat rem: tum quicquid rem non significat, illud ipsum non est nomen: sed aliquid non significans rem, est nomen: ergo omne nomen non significat rem. Prima ratio contra nominis definitionem.

Resp. *Nego aliquod reperiri nomen, quod non significet rem.*

Quæst. Itane quæso? Quæ pars ergo orationis est (nihil)?

Resp. *Nihil est nomen.*

Quæst. Qua ratione potest esse nomen, cùm rem non significet?

Resp. *Nihil significat rem.*

Quæst. Hoc tuo responso quid potest esse magis absurdum? Opponuntur enim inter sese

res,& nihil, ita vt quidquid res eſt, non poſſit dici nihil,& quod nihil eſt,non poſſit vllo modo res dici.

Nihil ſignificat rem.

Reſp. *Longè profectò falleris. Non enim ſignificat (nihil) rem omnino nullam, ſed rem nullius momenti, & valoris.*

Quæſt. Qua ratione hoc probas?

Hilum.

Reſp. *Quia nil eſt contractum à nihil, vtrumque verò à vocabulo hilum, quæ vox propriè ſignificat illud nigrum; quod in ſummitate fabæ cernitur. Cum verò illud res ſit viliſſima, inde fit quòd nil, vel nihil, rem nullam lingua noſtra vernacula interpretemur: non quòd nulla res reuera ſit, ſed quòd ne hilum quidem valeat, hoc eſt, nullius ſit momenti.*

Nothing.

Quæſt. Quanquam nihil habeam, quod contra hanc tuam reſponſionem regeram (videtur enim mihi valde ſubtilis & acuta); non tamen ita deſiſtam, ſed alia adhuc in te tela vibrabo.

Reſp. *Me ſatis fortem & ſtrenuum inuenies (Cyclops licèt, vel ipſe Polyphemus ſis) ad omnes tuos ictus, verborum modò, non ſaxorum (quemadmodum ille) coniciendos ſuſtinendum.*

Quæſt. Quemadmodum priùs probaui nomen non ſignificare rem: ita iam oſtendam nomen habere temporis & perſonæ differentiam.

Reſp. *Nihil verius (mihi crede) vnquam in tota tua vita affirmâſti. Nam quemadmodum priùs,*

prius, non veris, sed falsis argumentis probare voluer as nomen non significare rem: ita fictis iam fortassis captatiunculis ostendere conaberis nomen habere temporis & personæ differentiam.

Secunda ratio contra nominis definitionem, quòd significet temporis differentiam.

Quæst. Si qua lateat in verbis meis fallacia, illam tu (quæso) detege, & palam coram omnibus circa hæc subsellia astantibus in lucem profer to. Sic enim disputo. Hora, dies, mensis, annus, lustrum, seculum, sunt nomina; significant autem temporis differentiam: ergo falsa est illa nominis definitio in Grammatica, quæ affirmat nomen non habere temporis & personæ differentiam.

Resp. *Hora, dies, mensis, annus, non significant temporis differentiam.*

Quæst. Horæ tempus differt à diei tempore, nec est mensis spatium idem cum anni spatio: facilè ergo vides hæc nomina significare temporis differentiam.

Resp. *Lubens concedo non esse idem spatium temporis in omnibus hisce vocabulis à te antea prolatis; non tamen facilè dixerim nudas hasce voces in sese consideratas admittere temporis differentiam.*

Quæst. Quid ita quæso?

Resp. *Quia tametsi significent omnia hæc nomina à te prius recitata, tempus: non tamen significant temporis differentiam, hoc est, significant nudum tempus solummodò, & nihil præterea, quemadmodum in verbis fieri videmus, quæ præter pra-*

Solutio superioris obiectionis.

priam & genuinam significationem, habent etiam adiunctam temporis significationem: vt exempli gratia, verbum (doceo) non solùm significat, alium instruo, sed etiam me hoc temporis momento hoc facere. Ita verò (docui) denotat me hoc feciſſe iam olim, nempe tempore præterito. Sic (docebo) declarat me tempore futuro hoc eſſe facturum.

Quæſt. Aliquid eſt profectò quod dicis, & non multum fortaſſis à vero abhorrens; quod tametſi videatur meam de temporis in nominibus præcedentibus differentia obiectionem non mediocriter labefactare, non ita tamen effugies; ſed alia adhuc ratione nominis ſiue definitionem, ſiue deſcriptionem conuellere, & infringere conabor.

Reſp. *Multa tu quidem conaris, & magno tandem conatu, quemadmodum ille apud Comicum, magnas profectò nugas dabis.*

Quæſt. Parciùs iſta viris tamen obijcienda memento.

Reſp. *Tibi præſertim, viro tam forti & ſtrenuo.*

Quæſt. Contra verboſum nolo contendere verbis, ſed firmis argumentis quod aſſerüi, probabo.

Reſp. *Proba igitur.*

Quæſt. Multa ſunt nomina, quæ habent perſonæ differentiam, ergo non vera eſt nomi-

nis

nis definitio, in qua affirmatur nomen non habere personæ differentiam.

Resp. *Nullum est nomen, quod admittit personæ differentiam.*

Quæst. Sic probo. Omnia nomina, quæ habent vocatiuum, habẽt etiam personæ differentiam: sed infinita penè sunt nomina quæ habent vocatiuum: ergo infinita sunt penè nomina, quæ habent personarum differentiam.

Resp. *Nego Maiorem, hoc est, nego omnia nomina, quæ habent vocatiuum, habere etiam personæ differentiam.*

Quæst. Maioris veritatem sic asserо. Si non sit in nominibus personæ differentia, tunc vocatiuus erit eiusdem personæ cum nominatiuo, & reliquis cásibus. Sed vocatiuus non est eiusdẽ personæ cum nominatiuo, & reliquis casibus: ergo ea nomina, quæ habent vocatiuum, habent etiam personæ differentiam.

Resp. *Vocatiuus est eiusdem personæ cum reliquis casibus.*

Quæst. Hoc tuum responsum hac ratione conuellam.

Resp. *Conuellas quoad libeat, modò ne refellas.*

Quæst. Imò & conuellam atque etiam inuincibiliter refellam.

Resp. *Ante victoriam noli cantare triumphum.*

Quæst.

Quæſt. Sic ergo de tuo reſponſo triumphare conabor, hoc in illud prolato argumento. Omnis nominatiuus eſt tertiæ perſonæ, omnis autem vocatiuus eſt ſecundæ perſonæ: ergo vocatiuus non eſt eiuſdem perſonæ cum reliquis caſibus, atque ita per conſequens, admittit nomen perſonæ differentiam, id quod ego probandum ſuſcepi.

Reſp. *Scitè tu quidem, & rectè. Atque etiam hac ratione probaueris pronomina ego, & tu, eſſe tertiæ perſonæ, quia ſunt nominatiui caſus.*

Quæſt. Ain' vero? Quis putaret homini tam perſpicaci tam hebetem eſſe oculorum ſenſum, vt ſolem meridie lucentem videre nequeat? Ego enim de nominibus ſum locutus, tu verò reſpondes de pronominibus.

Reſp. *Bene habet. Iam tandem videor mihi animi tui ſenſum perſpexiſſe, vel intellexiſſe. Vis enim omnem nominatiuum in nominibus eſſe tertiæ perſonæ.*

Quæſt. Rem acu tetigiſti. Expecto igitur qua ratione argumenti mei vim poſſis repellere, quin fateri cogaris eſſe in nominibus perſonæ differentiam.

Solutio obiectionis de perſonæ differentia in nominibus.

Reſp. *Nihil minus. Nam quòd omnis vocatiuus affirmatur eſſe ſecundæ perſonæ, id non fit propriè ex ſua ipſius ſignificatione, ſed ex vi pronominis ſubauditi (ſcilicet Tu), cum quo per Appoſitionem in eodem caſu cohæret.*

Quæſt.

Quæst. Mihi tamen (vtcunque hactenus acutè satis responderis) nondum omnem scrupulum de temporis & personæ differentia in nominibus ex animo prorsum exemisse non videris, ita vt tutò & securè in his quæ à te hucusque sunt dicta possim acquiescere.

Quæ sequuntur ad finem huiusce disputatiunculæ iam demum adduntur.

Resp. *Sed quid habes præterea quod in hoc argumento possis obijcere, deprome tandem, quò magis eluceſcat veritatis splendor, discussis & fugatis omnium sophisticarum obiectiunculæ rum nebulis, & caligine.*

Quæst. Vocabula ipsa (temporis & personæ) cùm sint nomina, videntur nominis definitionem infringere.

Resp. *Nodum in scirpo quæris, seu potius apertè nugaris.*

Quæst. Bona verba (quæso). Non enim est res tam aperta & dilucida, vt tibi forsan videtur. Nam cum hæc ipsa vocabula (temporis, & personæ) sint nomina : nemo tam est rudis & hebes, tardoq; ingenio, qui non videat omnis temporis circumstantias, siue præsentis, siue præteriti, siue futuri, multum inter sese differre, & discrepare : Personarum vero aliam, esse primam, aliam secundam, aliam tertiam.

Alia obiectio de tempore, & persona.

Resp. *Videris mihi valde obscurè & perplexè loqui.*

Quæst. Conabor me ipsum satis manifestè explicare. Hoc enim volo, tempus præsens

differt

differt a præterito, præteritum autem à futuro: perſonam item primam non eſſe eandem cum ſecunda; nec ſecundam, eandem cum tertia: eſſe igitur in nomine temporis & perſonæ differentiam.

Reſp. *In manifeſtum τωυτολογίας vitium incidis. Sunt enim hæc prorſus eadem cum illis, quæ paulo ſuperius obieceras.*

Quæſt. Itane tandem? Nonne ſupra egi de die, menſe, anno, & ſimilibus: de differentia item perſonæ in caſibus nominatiui & vocatiui in nominibus.

Reſp. *Ad ea igitur quæ iam porrò addidiſti de temporis circumſtantijs, & perſonarum differentijs reſpondeo, tempus præſens, præteritum, & futurum, in nominibus locum non habere, ſed in verbis: perſonæ item differentiam in pronomine & verbo reperiri, in nomine verò non item, & proinde nihil omnino hoc facere ad nominis definitionem infringendam.*

Quæſt. Donec quis meliora protulerit, ego hac tua reſponſione ero contentus, & pergam ad aliam quæſtionem.

QVAESTIO

QVAESTIO SECVNDA.

An quinque sint tantùm declinationes nominum, sub quarum aliqua nullum sit nomen, quod non possit contineri? Et vtrum verè sint regulæ grammaticales, quæ de his traduntur?

Quæst. Non ea est ingenij mei facultas, vt polita quadam & elegante oratione aures vestras demulcere queam, nec est etiam mei instituti hoc præstare nunc temporis. Res enim ipsa postulat, vt potius strictis argumentis, quàm prolixis orationis clausulis de proposita quæstione agamus. Dic igitur perspicuè, & ἀνυποκρίτως, quid tibi de huius quæstionis veritate videatur?

Resp. *Quòd tu breuius omissis verborum ambagibus egeris, eò eris mihi gratior & charior, tibiq; promitto & polliceor me esse sanctissimè obseruaturum, me eádem vsurum in respondendo breuitate, quâ tu in proponendo vtêre. Dico igitur nihil esse in hac quæstione, quod non ausim vt verissimum & certissimum defendere.*

Quæst. Bene ergo se res habet. Ego mox virium tuarum periculum faciam, ipseroque me tecum ita esse acturum, vt omnibus appareat, quàm sis impar ad illud præstandum

dum, quod tam temerè & audacter in te ſuſcepiſti.

Reſp. *Erras, & me ignoras (ô bone), ſi putas te poſſe me ſanis dictis tuis protelare. Habes aduerſarium ſatis fortaſſe animoſum & quem non ita facilè, vt tureris, vinces. Fueris vel Hercule ipſo, vel Polyphemo robuſtior, aut Thraſone Terentiano glorioſior, ego nec vires tuas reformido, nec verborum tuorum ampullas flocci faciam.*

Quæſt. Sic ergo contra hanc quæſtionem diſputo: Multa ſunt nomina, quæ ad nullam declinationem poſſunt referri: eſt itaque falſa hæc quæſtio.

Reſp. *Parturiunt montes, & naſcitur ridiculus mus. Hoccine tandem eſt illud telum tàm magnoperè formidandum? Orator poteris fortaſſis eſſe vehemens, es tamen diſputator parùm ſubtilis, qui à petitione principij (vt loquuntur Dialectici) diſputationem tuam orditis.*

Quæſt. Imò ego mihi nihil concedi peto. Quod inſtitui, ſolida ratione euincam.

Reſp. *Audiamus tandem.*

Quæſt. Quæ non declinantur omnino, illa non poſſunt ad aliquam declinationem referri: at multa ſunt nomina, quæ non declinantur omnino: ergo multa ſunt nomina, quæ ad nullam declinationem referuntur.

Reſp. *Hoc aliquid eſt, quod iam dixiſti; verùm*

hoc

hoc aliquid nihil eſt. Nego enim eſſe aliquod nomen quod non declinetur.

Quæſt. Quid audio?

Reſp. *Hoc, quod narro.*

Quæſt. Scilicet tu nomen nullum eſſe affirmas declinabile?

Reſp. *Nugaris. Quaſi hoc ſtet voce non ſatis clara iamdudum dixerim. Arrige ergo aures tuas, & me audi denuò, & tertiò, ſi voles, affirmantem, omnia nomina declinari.*

Quæſt. Satis tu quidem ſtrenuè hoc ipſum affirmas: quàm autem poſſis idem fortiter defendere, mox patebit. Reuoca (quæſo) ſenſus tuos, qui mihi iam videntur peregrinari, qui rem tam apertam negare audeas. Hæc reperiuntur apud Lilium tuum: Omne quod exit in um, ceu Græcum, ſiue Latinum, eſſe genus neutrum: ſic inuariabile nomen. Quid iam ais? An non conſtrictus teneris? Quo pacto demum te irretitum ex hoc laqueo expedies.

Reſp. *Noli (quæſo) gloriari. Nihil eſt facilius. Fateor multa nomina eſſe inuariabilia, ſed non indeclinabilia.*

Quæſt. Facetè demum inuenta hæc tua reſponſio eſt. Quaſi verò non idem ſit, eſſe inuariabile, & indeclinabile; vel ſi aliqua ſit inter hæc differentia, talis eſt ferè, qualis inter ſtolidum & ſtultum.

Reſp. *Acutè ſanè, qui hoc pacto obliquè conaris mihi*

mihi nomẽ ſtulti inurere. Tu tamen, quem non ſtultum, ſed ſapientum octauum meritò appellare auſim, ſcito me loqui de nominibus regularibus in hac quæſtione, & non de irregularibus, ſiue heteroclitis. Fateor enim inter illa reperiri, quæ non declinentur: verùm illa ego extra quæſtionis meæ cancellos, tanquam enormia, & rebellantia, & quæ in ordinem cogi non poſſunt, reijcio, & excludo.

Quæſt. Video mihi eſſe negotium cum vulpe callida & aſtuta, id eſt, cum antagoniſta ſubdolo, & verſipelle: verum non ſic euades. Aliud adhuc telum, & priore longè acutius in te vibrabo, cuius ictum vide qua ratione poteris à latere tuo depellere, & propulſare. Hæc enim (ſi bene memini) reſponſionis tuæ erat ſumma; Hanc tuam quæſtionem intelligi debere de nominibus declinabilibus, non autem de nominibus indeclinabilibus, & heteroclitis, nonne?

Reſp. *Sic eſt.*

Quæſt. Fateris ergo nullum eſſe nomen declinabile, quod non referatur ad vnam aliquam quinque declinationum.

Reſp. *Maximè.*

Quæſt. Euge, iam habeo quod volo. Ita enim te ſtatim retibus meis implicabo, vt te inde nulla ratione extricare & expedire poteris.

Reſp. *Ego hæc verba tua tam magnifica, verba*

dum

dum sum, facilè ferre possum: verùm si ad rem conferantur, vapulabis.

Quæst. Magnificè tu quidem, nec bonæ illi mulierculæ, cuius tu verbis vteris, multùm absimilis. Sed omissis verbis, ad rem tandem veniamus.

Resp. *Incipe, si quid habes.*

Quæst. In me mora non erit vlla. Sic enim argumentor: multa nomina declinabilia reperiuntur, quæ ad nullam declinationem possunt referri: non est ergo vera hæc tua quæstio.

Resp. *Vulpes (quod dici solet) pellem mutare potest, sed non naturam, siue ingenium. Tu enim Sophista calidus, quàm es tui similis, quantumuis id celare cupias? Rursus petis principium, siue id sumis pro confesso, quod tibi erat in primis probandum. Nego enim vlla declinabilia esse nomina, quæ non referuntur ad vnam aliquam quinque declinationum.* Petitio. Principij.

Quæst. Tu profectò valde es verbosus, & aliquantò quàm par est, loquacior. Quasi ego iam pridem hoc non agerem, vt probem id, quod sciam probè esse mihi vel in primis probandum. Atque hoc cum statim effecero, omnibus his astantibus luce meridiana clarius patebit, quàm tu turpiter te dederis, & quàm insigniter causa cades. Nam Dido, Clio, Echo, & multa huiusmodi, nomina sunt declinabilia, nec tamen ad aliquam quinque declinationum Dido, Clio, Echo, &c.

referuntur: non est itaque vera hæc quæstio.

Resp. *Quid si negem hæc nomina esse declinabilia?*

Quæst. Quid si inficias eas solem ipso meridie lucere?

Resp. *Itane tibi videtur hoc æquè absurdum ac illud? Nego ergo reuera has voces esse declinabiles.*

Quæst. Non patiar te ita exspatiari: arctius te constringam, agamque tecum paucis, hoc modo, variantur hæ voces per terminationum casualium discrimina: ergo sunt declinabiles.

Resp. *Ego tibi etiam non minore brevitate respondeo hoc pacto, nempe dico hæc nomina non habere casuum discrimina.*

Quæst. Dido facit in genitiuo Didus, in datiuo Dido, in accusatiuo Dido (quod idem de reliquis similibus est dicendum): habent ergo hæ voces casuum discrimina.

Resp. *Fateor verum esse quod dicis. Ego autem hoc, quod tam erat manifestum, negaui; non quòd ita reuera senseram, sed potius vt virium tuarum periculum facerem. Cano iam ergo palinodiam, & hæc nomina declinabilia esse concedo, & ad tertiam declinationem Latinorum referri.*

Quæst. Quo teneam vultum mutantem Protea nodo? Tu tibi ipsi non constas. Modò ais, modò negas. Quàm autem est hoc absurdum, vel quod nuperrimè affirmâsti. Quomodo

sunt

sunt enim hæc nomina tertiæ inflexionis, cum nullam habeant cum terminationibus tertiæ inflexionis affinitatem?

Resp. *Placuit tamen Grammaticorum doctissimis eò hæc referre, quorum ego iudicio acquiesco; tametsi habeã aliam euadendi viam, si dixero quæstionem meam intelligi de Latinis, non autem Græcis vocabulis.*

Quæst. Quia video te tam subdolum & versipellem, vt quocunque te fugientem persequar, mille tamen habeas elabendi vias, à Græcis vocabulis te aliquantisper reuocabo ad dictiones Latinas, vtpote nobis longè familiariores. De his autem multa habeo quærenda, sed hoc inprimis: an omnia videlicet nomina Latina putes ad vnam aliquam quinque declinationum posse referri? Tertia ratio

Resp. *Tu mihi videris argumentorum penuria valde laborare, qui toties eandem cantilenam canere non erubescas. Quoties enim est tibi à me antea responsum, secludi ab hac quæstione multa nomina Latina Heteroclita, & indeclinabilia?*

Quæst. Admitto lubens hanc tuam exceptionem, & loquor de Latinis nominibus regularibus solummodò.

Resp. *Ea omnia dico ad vnam aliquam harum quinque declinationum posse referri.*

Quæst. Ad quam ergo declinationem refers Familiæ.

hanc vocem (familia)? quam tibi puto esse valde familiarem?

Resp. *Ad primam.*

Quæst. Qua ratione adductus hoc facis?

Resp. *Quia habet genitiuum in æ dipthongo.*

Familias in genitiuo.

Quæst. Nunquam ergo legisti familias in genitiuo?

Resp. *Non legi, nisi mea me fallat memoria.*

Quæst. Quid (quæso) apud probatos autores est hisce loquendi formulis magis tritum, & vsitatum: Patres familias, matres familias, filius familias, & huiusmodi?

Resp. *Vna hirundo non facit ver: ita nec vnum aliquod exemplum satis est ad infringendam regulæ generalis veritatem.*

Quæst. Esto sanè, non posse ex vnius hirundinis ad nos aduentu indicium certum de vere instante fieri: cum tamen illas ad nos cateruatim volitantes aspicias, nunquid vernum anni tempus iamiam appropinquare dubitaueris?

Resp. *Dauus sum, non Oedipus. Explica ergo quid sibi velit hoc tàm reconditum verborum inuolucrum?*

Terras, auras in genitiuo.

Quæst. Non solum facit familia, familias in genitiuo, sed reperiuntur plura eiusmodi, quemadmodum terras, auras, & similia.

Resp. *Sunt hæc antiqua & obsoleta, quorum iam nullus est vsus apud Scriptores recentiores.*

Quæst.

Quæst. Detur hoc in nonnullis: familias tamen frequenti est in vsu, etiam inter melioris notæ autores.

Resp. *Sic itaque respondeo: voces hasce, familia, terra, aura, & huius farinæ reliqua, facere interdum in genitiuo familias, terras, auras, ad imitationem Græcorum.*

Latina quædam habent as in genitiuo primæ declinationis ad imitationem Græcorum.

Quæst. Tune Græcus? Græculus esuriens in cœlum, iusseris, ibit.

Resp. *Tua profectò tam petulca & insulsa linguæ loquacitas, vel potius procacitas, te non tàm Græculum, quàm graculum esse prodit, & ostendit.*

Quæst. Videamus ergo quid tu Græcus pro Græca hac in Latinis vocibus imitatione adferre possis?

Resp. *Quemadmodum apud Græcos in secunda declinatione simplicium, nomina substantiua in δα, θα, ρα, & α purum habent genitiuum in ας: ita familia, terra, aura & similia, ad illorum exemplar faciunt interdum familias, terras, auras in genitiuo.*

Græcorum imitatio.

Quæst. Si eauillari & tergiuersari liberet, haberem quod contra hanc tuam responsionem obijcerem. Sed quia eandem doctorum iudicio comprobari video, pergam iam ad alia in te tela vibranda, quorum si tu ictus sustinere poteris, satis mihi robustus & strenuus esse videberis ad tutandam & defendendam hanc nomi-

nis Grammaticalis arcem & turrim, ita vt illa relicta, aliam copiarum mearum partem ad pronominis agrum depopulandum transferam & conuertam.

Resp. *Ego omnes tuorum argumentorum ictus leui & parua quadam corporis declinatione vitabo. Fac itaque virium mearum periculum cum volueris.*

Quarta ratio siue obiectio.

Quæst. Cum tam sis paratus ad omnem belli euentum, ostende (quæso) quot sint terminationes nominatiui & vocatiui singularis in prima declinatione Latinorum.

Resp. *Pro varia nominatiui terminatione varia est etiam vocatiui terminatio.*

Quæst. Quot sunt itaque nominatiui terminationes?

A, Am, As, E, & Es.

Resp. *Quinque: videlicet* A, Am, As, E, & Es.

Quæst. Suntne hæ omnes terminationes nominum Latinorum?

A Latinorum terminatio.

Resp. *Minimè. Illa enim nomina primæ declinationis sunt solummodò Latina, quæ finiunt in* A. *Quæ verò desinunt in* Am, *sunt Hebræa propriè. Et quæ exeunt in* As, Es, & E, *Græca.*

Quæst. Ego vanam & futilem esse hanc terminationum distinctionem hac ratione probabo.

Resp. *Age tandem.*

Quæst. Multa sunt nomina primæ declinationis

tionis in *A*, quæ non sunt Latina, sed Græca. Proinde falsum est illud, vbi asseris, terminationem *A* in prima declinatione, esse indicium nominum Latinorum.

Resp. *Tu profectò vanus es & futilis nugator, qui etiam falsè & captiosè disputas, cum ex eo quod dixi hanc literam terminalem* A, *in prima declinatione esse notam nominum Latinorum, probare conaris omnia in* A *primæ declinationis esse Latina. Scio enim Satrapa, Athleta, Poeta, Geometra, Bibliopôla, & infinita alia in* A, *primæ declinationis, esse tamen Græca.*

Quæst. Qua igitur ratione tu tibi ipsi constas?

Resp. *Non affirmaui omnia nomina in* A, *primæ inflexionis, esse Latina, sed pleraque ita esse.* Latina inflexione, origine Græca. *Non video tamen quid absurdi inde sequeretur, si hoc generaliter affirmâssem. Sic enim explico verborum meorum sententiam, nempe omnia nomina primæ declinationis in* A, *esse terminatione Latina, licet ex illis multa sint origine, Græca. Cum tamen inter declinandum nulla in re differant à dictionibus Latinis primæ declinationis in* A, *non video, cur hoc sensu non dici possint Latina, declinatione scilicet, non deriuatione.*

Quæst. Subtilis es tu quidem disputator, orator tamen fortassis parum vehemens; verùm iam doce, quæ sunt vocatiui terminationes in prima declinatione?

Resp. *Nomina primæ declinationis in* A, *faciunt vocatiuum similem nominatiuo, quemadmodum & nomina in* Am, *quæ ferè sunt Hebræa. Atque idem est censendum de Græcis in* E. *Quæ verò Græca habent nominatiuum in* As, *ea faciunt vocatiuum in* A: *in* Es *autem faciunt vocatiuum vel in* A, *vel in* E.

Quæst. Hoc illud est quod volüi: huc tendebant interrogationes meæ tam longè petitæ. Iam sanè captus es, & ita in retibus meis implicatus, vt te indè non facilè explicaueris.

Resp. *Quid sibi vult tam insolens hic verborum triumphus? Audiamus quid tandem hinc velis concludere.*

Quæst. Redde prius (si potes) rationem, cur in rudimentis Anglicanis nulla fiat mentio tam varij huius nominatiui exitus in nominibus vel primæ, vel reliquarum declinationum.

Probabilis coniectura, cur nulla fiat mentio variarum nominatiui terminationum in singulari numero.

Resp. *Quid hoc ad præsens institutum tuum? Ego tamen (vt potero) hac in re tibi etiam satisfaciam. Rudimenta illa Anglicana Latinæ Grammaticæ præfixa, vt sunt ad tenellorum captum & ingeniolum accommodata, ita etiam huiusce rei præcipuè rationem habuit illorum Author (quicunque tandem ille fuit), ne præceptorum multitudine illorum memoriam obrueret: ac proinde accuratiorem singulorum casuum in illis quinque declinationibus tractationem, pro varia eorundem terminatione, ad Grammaticam Latinam reiecit.*

Quæst.

Quæst. Rectè tu quidem coniectas, adeò vt rem ipsam acu (quod aiunt) tetigisse videaris. Quod si eádem dexteritate vtare in reliquorum meorum argumentorum solutione, ego sanè in re Grammaticali te solertem dabo.

Resp. *Nullius sunt momenti rationes tuæ, ac proinde nullo negotio quàm facilimè soluentur, nec vlla in re potes regularum Grammaticalium veritatem concutere, & conuellere.*

Quæst. Verbis apud te nihil proficio, videbo igitur quid possim argumentis. Ac primùm à te quæro, cuius declinationis & generis sit Pythias, tam frequens & notum puellæ nomen apud Terentium in Eunucho?

Resp. *O quàm similes habent labra lactucas! Et, quam aptè conuenit tuis moribus allatum à te exemplum, vt tu scilicet loquaculus nugator, loquacula puellæ nomen adduceres ad labefactandam Grammaticæ certitudinem.*

Quæst. Omitte tandem hanc linguæ volubilis petulantiam, & responde quæstioni.

Resp. *Pythias est primæ declinationis apud Latinos, & fœminini generis.*

Quæst. Probabo nec primæ declinationis esse, nec fœminini generis.

Resp. *Qua demùm ratione?*

Quæst. Hoc modo. Nomina primæ declinationis in *As*, faciunt vocatiuum in *A* (quemadmodum tu antea rectè affirmâsti); Pythias verò

Pythias in vocatiuo.

verò non facit vocatiuum in *A.* sed in *As*: ergo non est primæ declinationis.

Resp. *Pythias non facit vocatiuum in* As.

In Eunucho. Act. 4. Scæ. 3.

Quæst. Itane (quæso) es oblitus illorum, quæ toties apud Terentium legeris? Quid festinas, aut quem quæris Pythias? Et postea in eadem Scæna: Au! obsecro mea Pythias, quod istucnam monstri fuit? Atque ibi etiam si quæras, reperies Dorias, aliud puellæ nomen, in vocatiuo.

Pythias in vocatiuo.

Resp. *Quasi verò in eádem scœna non sic loquatur Terentius: Paululum si cessâssem Pythia, domi non offendissem. Hoc enim loco palam est Pythias facere in vocatiuo Pythia secundum regulam.*

Quæst. Hoc est clauum clauo pellere, seu potius nodum dissecare, non soluere. Sed quid tandem respondes?

Resp. *Pictoribus atque Poëtis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.*

Quæst. Verum sane hoc esse concedo quoad pingendi & fingendi libertatem, non autem quoad scribendi & loquendi modum & rationem.

Resp. *Si tibi minus satisfaciat prior responsio: dico in huiusmodi loquendi formulis esse peculiarem quendam Græcismum, seu potius Atticismum, cuius dialecti hoc probè nouisti esse proprium, vt in omni declinatione vocatiuum habet similem nominatiuo.*

Atticismus.

Quæst.

Quæst. Dicis ergo more Atticorum fieri, quod Pythias & Dorias & huiusmodi nonnulla reperiantur in vocatiuo.

Resp. *Maximè.*

Quæst. Ad genus verò quod attinet, qua ratione potest Pythias esse fœminini generis.

Resp. *Optimâ, quippe cum sit nomen mulieris.*

Quæst. Masçula Græcorum, quot declinatio prima fundit in *As*, & in *Es*. Pythias esse masculini generis.

Resp. *Intelligenda est illa regula de nominibus appellatiuis, non autem de propriis.* Solutio.

Quæst. Non sic abibis. Nôsti enim omnia nomina primæ declinationis simplicium apud Græcos, esse masculini generis, siue sint communia, siue propria. Alia obiectio.

Resp. *Affirmant tamen omnes ferè Grammatici, tàm veteres quàm recentiores vocem* λῃςὴς *(quæ significat latronem) esse communis generis.* λῃςὴς Hæc adduntur in hac editione ad hunc asteriscum *

Quæst. Verior tamen est illorum sententia, qui dicunt vocem λῃςὴς semper esse masculini generis, & nunquam apud aliquem probatum Græcæ linguæ autorem in genere fœminino reperiri. Obseruatio notatu dignissima. Solutio.

Resp. *De hoc ego non facilè cum quoquam contenderim. Pythias tamen non est primæ, sed secundæ declinationis simplicium apud Græcos.*

Quæst. Nomina secundæ declinationis simplicium in recto singulari terminantur, vel in α, vel in ϗ: Pythias verò neque terminatur in α, neque Altera obiectio.

Solutio.

neque in η, sed in ας: non est itaque secundæ declinationis simplicium.

Pythias & similia quomodo referuntur ad secundam declinationem simplicium apud Græcos.

Resp. *Terminatio nominatiui singularis in hac secunda declinatione in nominibus merè Græcis, est in α, vel in η: sed Pythias, & Dorias, & similia ancillarum nomina & vocabula sunt planè barbara, & seruilia, ac proinde ab illis desumpta, antiquas gentis suæ appellationes retinent, referunturque non incommodè ad secundam simplicium declinationem, tum propter genus, tum etiam propter conuenientiam, quam habent cum nominibus secundæ declinationis in omnium reliquorum casuum terminationibus, præterquam nominatiui singularis.*

Quæst. Non habeo, quod contra hanc tuam responsionem vlterius obijciam. Pergam igitur iam ad alia.

DISPVTATIO DE TRIBVS CASIBVS similibus in nominibus neutrius generis.

An habeant nomina neutralia tres casus similes, qui in plurali numero semper exeunt in A? Atque hæc quidem quæstio iam recens additur in hac tertia editione.

Præfatiuncula.

Quæst. Satis amplum disputandi argumentum est nobis à præceptore benignissimo in omnibus quæstionibus, de quibus tempore hoc

hoc pomeridiano agetur, propositum: in hac verò quæstione amplissimum. Ego tamen nunquam antea in hac contendēdi ratione excercitatus, valdè ero in argumentando breuis, quàm possum à vobis humilimè rogans atque obsecrans, vt qualiacunque protulero pro ingenioli mei mediocritate, ea omnia in bonam partem accipere, pro solita vestra clementia velitis. In hac igitur disputatione peto, quàm firmam putes esse huiusce regulæ veritatem, quæ statim ferè ab initio Grammaticalium rudimentorum habetur de terminatione nominatiui, accusatiui & vocatiui vtriusq; numeri in nominibus neutralibus?

Resp. *Tradit Grammatica hos tres casus esse similes terminatione in numero singulari: in plurali verò semper exire in* A: *atq; huius regulæ veritatem puto semper esse certissimam.*

Quæst. Omnia igitur neutralia pluralis numeri in his tribus casibus desinunt in *A*?

Resp. *Quid opus est toties eadem verba inculcare? Tu (si potes) doce vbi fallat hæc regula.*

Quæst. Hoc ego facilè docebo, si tu modò te ipsum docilem exhibeas.

Resp. *Noli me tam longis verborum ambagibus circumducere, sed vel argumentis, vel exemplis huius regulæ certitudinem conuellito.*

Quæst. Exemplo vnico tantùm (ne nimium sim prolixus) hoc faciam, si mihi prius respon-

deas

deas, cuius generis sit hæc vox (labium)?

Resp. *Nullus est in re Grammaticali tàm rudis & ignarus, qui nesciat (labium) esse neutrius generis.*

Quæst. Audies statim igitur quod tibi nunquam ante innotuit, valdeque mirum fortasse videbitur. Sic enim loquitur Plautus in Comœdia cui nomen est Stichus, Actu secundo, Scæna secunda: age tibicen, quando bibisti, refer ad labias tibias.

Resp. *Quid est in hac sententia nouum, vel mirum, quod contra hanc regulam faciat?*

Quæst. Modò fassus es vocem (labium) esse neutrius generis: videsitaq; non omnia nomina neutrius generis habere semper in plurali numero nominatiuum, accusatiuum & vocatiuum in *A*. In hac voce enim accusatiuus pluralis est in *As*.

Resp. *Est error fortassis Typographicus, nempe labias pro labia.*

Quæst. Repugnat huic responsioni omnium exemplarium fides, in quibus constanter scribitur labias, non autem labia.

Vera solutio. Resp. *Secundò igitur respondeo, esse vocem labium ponendum in illorum Heteroclitorum nominum numero, quæ dicuntur luxuriantia siue redundantia, hoc est (vt cum Grammatica nostra loquar) quæ mutant & genus & vocem, vt clypeus clypeum, tonitrus tonitru, annus annum, nasus nasum, &*

& huiusmodi mille alia, quæ passim occurrunt in bonorum autorum lectione, quorum magnum quidem numerum obseruare potes apud Plautum, & inter hæc, labia fœminini generis, & prima declinationis, quum frequentiore in vsu sit labium, neutrius generis.

Quæst. Hæc igitur est responsionis tuæ summa, labias hoc loco esse accusatiuum pluralem fœmininum à labia labiæ, primæ declinationis, non autem à labium labij, neutrius generis, & secundæ declinationis, cuius accusatiuus pluralis est labia secundum regulam.

Resp. *Rectè sanè colligis.*

Quæst. Hoc tuum responsum mihi probè satisfacit; si ita videatur doctissimo iudici, cuius grauissimæ sententiæ nobis meritò est standum.

ALIA DISPVTATIO IN HOC argumento.

QVAESTIO.

An nomina neutrius generis habeant in vtroque numero, nominatiuum, accusatiuum & vocatiuum similes, qui quidem casus in numero plurali semper desinant in A.

Quæst. Huius tu regulæ veritatem tutandam audesne in te suscipere (ô bone)?

Resp.

Resp. *Imò sane. Namque vt hanc maximè generalem, ita etiam omnium, quæ in Grammatica habentur, verissimam esse opinor.*

Quæst. Manifestam tamen contradictionem in sese videntur illius verba continere.

Resp. *Tu, qui nodum in scirpo facilè innenire potes, ostende tandem quàm sibi ipsi repugnare videantur huiusce regulæ verba.*

Regulæ verbæ. *Quæst.* Agnosce verba, quibus nec minutissimam vnius literulæ apiculam vel addam, vel auferam: Hîc est notandum (inquit regula) omnia nomina neutrius generis, cuiuscunque tandem declinationis fuerint, habere nominatiuum, accusatiuum, & vocatiuum similes in vtroque numero, qui quidem casus in numero plurali exeant omnes in *A*.

Resp. *Rectè tu quidem hæc omnia recitâsti. Quam verò hic monstras repugnantiam?*

Obiectio. *Quæst.* Si similes sunt omnium neutrorum hi tres casus in vtroq; numero, hinc necessariò sequi videtur, debere eosdem in singulari numero semper etiam desinere in *A*.

Resp. *Nulla est omnino huiusmodi necessitas. Sufficit enim vt in plurali desinant in hac terminatione.*

Quæst. Non ergo sunt hi casus similes in vtroque numero. Nam si in plurali exeant in *A*, & in singulari desinant in *um*, vt in dictione regnum, & infinitis alijs fieri contingit, quomodo

modo sunt hi casus similes in vtroque numero?

Resp. *Tu pol Crito antiquum obtines: similis vbique es tui, qui hîc quoque tam apertè nugaris, vel (vt dicam verius) more sophistarum cauillaris.*

Quæst. Isne tibi cauillari videtur, qui ipsissima regulæ Grammaticalis verba summa fide recitat?

Resp. *Sic tamen cauillatoris nomen non euitas, qui verba regulæ contra manifestum eiusdem sensum callidè intorqueas. Cum enim docet regula hos tres casus in neutralibus similes esse in vtroq; numero, significat eosdem cuiuscunq; sint terminationis in singulari numero, debere tamen in plurali numero semper desinere in* A. Solutio.

Quæst. Hoc tuum responsum vt maximè friuolum, & vanum, multis in medium prolatis exemplis refellam. Nam fas, nihil, instar, & similia non faciunt casus prædictos plurales in *A*: non est igitur verum hos casus omnes in numero plurali semper desinere in *A*. Instantia.

Resp. *Non habent hæc nomina pluralem numerum, & proinde nihil faciunt ad huius regulæ veritatem infringendam.* Solutio.

Quæst. Ambo & duo sunt neutra pluralia, quæ tamen non habent hos casus in *A*, sed in *O*: nec etiam habent tres casus singulares similes, dupliciter igitur hanc regulam falsitatis arguunt. Alia instantia.

Resp. *Excipiuntur à regula generali quatenus ad terminationem horum casuum in plurali. Quod verò de casibus ijsdem singularibus obijcis, nullius prorsus est momenti, quia carent hæc nomina singulari; quem si haberent, tunc hos tres casus in eodem numero formarent similes, vt fit in alijs nominibus regulam generalem sequentibus.*

Solutio.

Quæst. Video te chamæleontis instar in omnes colores teipsum mutantem, quò facilius argumentorum meorum vim eludas. Non tamen sic euades. Præter enim ambo & duo, quæ dicis ab hac regula esse excipienda, sunt & alia neutra, quæ constat habere numerum pluralem, & tamen non faciunt hos casus plurales in *A*; & inter illa, hæc vox Tempe, quæ hos casus plurales facit in *E*, & non in *A*.

Alia instantia.

Tempe.

Resp. *Tempe non est pluralis numeri, sed singularis numeri nomen aptôton secundum nonnullorum sententiam.*

Quæst. Errant illi profectò turpiter, suamq; inscitiam vel ipsis puerulis deridendam propinant, cum sit reuera vox Græca, & numeri pluralis, primæq; apud Græcos declinationis contractorum. Hoc enim vel hinc etiam satis liquidò apparet, cum in Grammatica nostra producat (*e*) finale, vt in illo versiculo: Sic gummi, frugi, sic tempe, tot, quot & omnes &c.

Tempe, vox Græca.

Solutio præcedentis instantiæ.

Resp. *Cano itaque palinodiam, & fateor esse numeri pluralis, sed non facere quicquam omninò*

contra

contra hanc regulam, quam volo de vocibus Latinis, non autem Græcis intelligi.

Quæst. Te sequar quocunque diffugias, neque ita te dimittam, sis licèt quauis vulpe versutior, & ita in respondendo vafer, vt nihil ferè certi ex tuis responsionibus queam elicere. Et quia hanc regulam de Latinis solummodò vocibus intelligi debere dicis, ijsque vtroque numero gaudentibus, quid demùm respondes ad hoc vocabulum (pondo)?

Alia instantia.

Resp. *Non ignoro hanc vocem dici, & singulariter & pluraliter, idque apud autores probatissimos.*

Quæst. Nec ignoras esse neutrius generis, vnde etiam sequi est necesse, te non ignorare falsam esse illam regulam, cuius tu propugnator tam strenuus haberi cupis; cum non faciat ponda, sed pondo in nominatiuo, accusatiuo, & vocatiuo pluralis numeri.

Resp. *Est hoc vocabulum pondo, heteroclitum aptôtum, siue indeclinabile (quod vocant), hoc est, licèt omnes casus in vtroque numero habere reperiatur, nullam tamen admittit casuum terminalium varietatem, siue discrimen; ac proinde non pertinet ad hanc regulam, quæ vniuersaliter, & sine vlla exceptione vera est in nominibus Latinis neutralibus, & regularibus, non autem heteroclitis, & irregularibus.*

Solutio.

Quæst. Iam tandem nulla circuitione vteris,

Quę sequuntur ad finem vsque huius disputationis in hac demùm editione adduntur.

sed apertè, & appositè etiam ad verum huius regulæ sensum, & intellectum respondes. Tentabo tamen, an non possim aliquid contra hanc tam veram, vniuersalem, & firmissimam cautelam apponere, vt ita demùm intelligas non vsque adeò veram esse hanc exceptiunculam, de cuius firmitudine tu tibi tantum polliceri modò videbaris.

Resp. *Profer, si quid habes quod videatur contra hanc exceptionem facere.*

Quæst. Omnia ergo neutralia regularia, & Latina sine vlla exceptione habent tres casus plurales supra dictos in *a*?

Resp. *Quid opus est hac tam superflua verborum iteratione?*

Collum.

Quæst. Hæc igitur vox collum, cuius est tam frequens vbique mentio, & quæ passim apud omnes probatos autores legitur, an non tu putas esse Latinam, regularem, & neutrius generis?

Resp. *Ita sanè opinor, nec te puto posse ostendere, qua ratione faciat contra hanc exceptionem paulo antè à me datam.*

Quæst. At ego reperio hanc vocem facere in accusatiuo (collos). Non est igitur hæc tua exceptio sine vlla exceptione semper vera.

Resp. *Ego verbis tuis non credam, nisi locum ipsum*

ipſum oſtenderis probati alicuius autoris, vbi (collos) habeatur in accuſatiuo plurali.

Quæſt. Is ipſe probatus autor eſt Plautus, qui in Capteiueis, Actu quarto, Scæ. 2. ſic loquitur. Dij immortales, iam vt ego collos prætruncabo tergoribus! Plautus.

Reſp. *Ego non memini me hoc vnquam apud Plautum legere.*

Quæſt. Incuſa ergo tuam inſcitiam, qui in Plauti lectione non fueris attentior, & diligentior. Sed quid reſpondes?

Reſp. *Eſt mihi neceſſariò recurrendum ad illud, quod eſt à me paulò ſuperius allatum in prima diſputatione contra hanc regulam, nempe eſſe hoc etiam vocabulum (& ſiqua ſint alia huiuſce generis, cuiuſmodi fortaſſe multa apud veteres Scriptores reperiri poſſunt) ad heteroclita redundantia referendum, dicendumque eſſe, & collum, & aliquando collus (licet rarius), à quo habetur collos in accuſatiuo plurali, vt in hoc loco.* Solutio.

Quæſt. Sed nulla fit mentio huiuſce vocis & ſimilium in noſtra Grammatica, vbi de heteroclitis tractatur.

Reſp. *Comprehenditur manifeſtiſſimè ſub hac cautela: Talia doctorum tibi lectio mille miniſtrat. Quod tibi ſit ſemel reſponſum de reliquis omnibus eiuſdem generis, vt nôrint iuniores tibi os obſtruere, cum talia obycias.*

Quæſt. At ſunt hæc in hunc finem à me ad-

ducta, vt excitarem puerorum diligentiam, quò sint magis perspicaces & solertes in talibus obseruandis & deprehendendis, in quorum etiam gratiam (si tibi non displicet) ostendam, huiusmodi neutra non habere semper tres hosce casus similes, in numero singulari.

Resp. *Multum tibi debebunt candidi adolescentes ob hanc tuam solertiam, tuoq; exemplo prouocabuntur, vt & ipsi similem abhibeant diligentiam in bonorum Scriptorum lectione: præsta igitur quod modò es pollicitus. Ego enim fateor meam in hac parte insciti am & infantiam.*

Guttur. *Quæst.* Vocabulum (guttur) cuius censes esse generis?

Resp. *Est generis neutrius, pertinetque ad tertiam regulam generalem de nominibus grauantibus penultimam genitiui crescentis. Cadit verò sub hanc regulam: Est neutrale genus, &c.*

Quæst. Habet igitur (guttur) in nominatiuo, accusatiuo, & vocatiuo singularis numeri; si vera sit regula de tribus casibus similibus neutrorum in singulari numero.

Resp. *Quid ni habeat?*

Quæst. Lis est tibi ergo cum Plauto, qui in Comœdia cui nomen est Trinummus, hæc habet verba: Postquam Thermopotasti gutturem.

Resp. *Est & hæc vox (guttur) heteroclitum redundans,*

redundans, neutrius scilicet, & masculini generis.

Quæst. Debet ergo mutare vocem quoque, vt illa faciunt, quæ ad hanc regulam in Grammatica nostra referuntur.

Resp. *Quid si hoc tibi etiam concederem, disputandi saltem gratia?*

Quæst. Sic demùm disputandi gratia concederes id, quod est falsissimum. Nam si tibi hoc darem, reperiri scilicet guttur, & gutturus, hinc tamen in accusatiuo haberemus gutturum, non autem gutturem. Dico etiam nullibi extare (quod memini) huiusmodi vocabulum.

Resp. *Quid hîc dicam vix benè scio. Libenter tamen vellem & tibi, & alijs satisfacere; vt (pueri præsertim) habeant, quod probabiliter respondeant ad similia argumenta. Affirmo itaque hoc vocabulum (guttur) cum alijs nonnullis quæ apud veteres inter legendum occurrunt, sub vna & eadem voce fuisse & neutrius, & masculini generis, sequendum tamen quod vsus frequentior approbauerit. Iam verò perge ad alia.* Solutio.

DISPVTATIO DE TERMINATIONE vocatiui ſingularis à nominatiuo in *us*, in ſecunda declinatione.

QVAESTIO.

6 *An vocatiuus ſingularis in ſecunda declinatione exeat in* e, *cum nominatiuus ſingularis deſinit in* us ?

Præfatiuncula

Quæſt. Cùm nobis ſit à præceptore obſeruando inſtitutum, vt nos ſubindè mutuis diſputationibus de rebus Grammaticalibus exerceamus, quarum cùm magnæ ſint vtilitates & commoditates, tum ſanè cum primis ad hoc conducunt, vt & paratiores & prõptiores ſimus in hoc exercitationis genere: agedum (ſocie chariſſime) liceat (quæſo) bona tua cum veniâ, virium tuarum periculum facere, quàm ſcitè & dextrè huius regulæ veritatem tutari poſſis, quæ habetur in Grãmatica de terminatione vocatiui ſingularis in ſecunda declinatione, cum nominatiuus ſingularis exeat in *us*.

Reſp. *Sunt hæc minuta & puerilia profectò, & rei Grammaticalis tyrunculis potius proponenda, quàm iis, quorum maiores ſunt progreſſus in bonis literis, & probatiſſimorum autorum lectione. Non pigebit tamen vel in hiſce minutiis (ne dicam nugis) expectationi tuæ ſatisfacere.*

Quæſt.

Quæst. Noli (quæso) altum sapere. Quo enim maiora tibi de doctrina, & cognitione tua polliceris, eo turpior erit lapsus, si imprudens in leuibus istis (vt tibi videntur) offendas, & impingas. Sed responde tandem, quæ tua sit de proposita quæstione sententia?

Resp. *Ego sanè vt certo certiora defendo quæcunq; de hac regula affirmat Grammatica.*

Quæst. Quæro igitur primùm quomodo exeat vocatiuus singularis nominatiuorum in *us*?

Resp. *Exit in* e, *paucis quibusdam, nempe sex vel summùm septem exceptis, vt deus, populus, lucus, fluuius &c. Nôsti enim regulam.* Vocatiuus in *e*, à nominatiuo in *us*.

Quæst. Quid verò, si nominatiuus desinat in *os*, terminatione Græca, quod hîc sæpe fieri videmus?

Resp. *Illa in vocatiuo sequuntur rationem Latinorum in* us, *& faciunt vocatiuum in* e.

Quæst. Bene habet. Iam te captum & irretitum laqueis & cassibus meis vtrinque habeo. Obiectio. Nam & plurima nomina in *us* vocatiuum habent similem nominatiuo: & Græca quædam in *os* vocatiuus etiam in *os* faciunt, & non in *e*. Longè ergo hîc profectò falleris.

Resp. *Ego vtrumque hoc constanter nego, imò verò pernego, nec nudis tuis verbis fidem habeo. Exemplis fac probes, quod dixisti.*

Quæst. Manus, arcus, ficus, anus, quercus,

&

& multa ſimilia, vocatiuum habent ſimilem nominatiuo. Chaos verò, & melos in Græcis faciunt vocatiuum, non chae, & mele, ſed chaos & melos, quod te ipſum non facilè negaturum puto, licèt aliàs frontis ſatis perfrictæ te fortaſſis eſſe nouerim.

Reſp. *Video me iam reuera eſſe falſum. Putabam enim mihi cum probo & candido viro rem eſſe: Nunc autem comperio me in ſophiſtam aliquem & callidum cauillatorem incidiſſe, qui ſubdolè & verſutè mihi conatur imponere. Exempla namque à te modò allata, alterius ſunt generis, & ordinis, vtpote quæ quartæ ſunt inflexionis, non autem ſecundæ, de qua nobis hoc loco ſolummodò eſt ſermo.*

Solutio.

Chaos & melos.

Quæſt. Itane verò? Chaos & melos cenſen' tu demùm ad quartam declinationem pertinere?

Reſp. *Rurſus nugaris. Loquor enim de Latinis dictionibus, de hiſce Græcis poſtea reſponſurus.*

Quæſt. Vis ergo regulam illam de nominibus in *us* ſecundæ declinationis tantummodò intelligi. Sed ne ſic quidem te expediiſti, tametſi generalia ſint regulæ illius verba. Sit tamen ita vt tu vis. Quid verò, num virus & pelagus negaueris eſſe ſecundæ declinationis?

Virus Pelagus.

Reſp. *Non eo inficias eſſe illa quidem ſecundæ declinationis, ſed quid hinc concludis?*

Quæſt. Auſculta. Non faciunt vocatiuum in

in *e*, ſed in *us*. Fallit igitur aliquando illa regula.

Reſp. *Imò tu fallis potius, qui hæc exempla contra verum, & germanum illius regulæ ſenſum vrges. Loquitur enim de nominibus in* us *ſecundæ declinationis, maſculini, vel fœminini generis. Sunt autem virus & pelagus neutra, quæ vocatiuum ſemper habent nominatiuo ſimilem.*

Quæſt. Iam me cogis iterùm quædam exempla ſuperius allata, contra te torquere. Quercus enim, cui adde, ſi placet, laurus, & pauca alia ſunt ſecundæ declinationis, & tamen habent vocatiuum nonnunquam in *us*. Quercus. Laurus.

Reſp. *Fateor rem ita ſeſe habere, vt dicis. Sed hîc etiam dolosè agis. Nam cum habent vocatiuum in* us, *non fit hoc, quòd ſint ſecundæ declinationis, ſed quia ſunt quartæ. Hæc enim & quædam alia referuntur ad vtramque declinationem, ſecundam ſcilicet, & quartam.*

Quæſt. Panthus tamen & Oedipus, vtrumque in *us*, formant vocatiuum per (*u*), vt Panthu, Oedipu, cum ſint maſculina, & non neutra. Panthus. Oedipus.

Reſp. *Veniunt à Græcis contractis in ῦς, atque hac ratione faciunt vocatiuum in* u.

Quæſt. Non ineptè hæc omnia affirmâſti. Verùm quid ad alia illa Græca, nempè Chaos, & melos reſpondes? Græca enim in ος cum ad hanc declinationem referuntur, in vocatiuo

uo exeunt in *e*, ad formam Latinorum in *us*.

Reſp. *Eodem modo reſpondeo, quo prius ad Latina in* us, *tunc ſcilicet cum ſunt maſculina, vel fœminina, vocatiuum habere in* e. *Sunt autem hæc duo (chaos & melos) neutra, & ferè indeclinabilia, niſi quod teſtatur Valerius, poſterius (melos) reperiri aliquando in ablatiuo (melo).* * *Cum verò ſint neutra, vocatiuum iuxtra regulam ſimilem habent nominatiuo.*

Reſponſio de chaos & melos.

Chaos etiam facit aliquando (Chao) in ablatiuo.

Quæſt. Sed ego illam regulam multis modis falſam eſſe oſtendam; hoc autem alio loco magis idoneo faciam, quòd hîc longior fuerim, nec te pluribus hoc tempore morabor.

DISPVTATIO DE QVINQVE nominis declinationibus ſeorſum & ſigillatim per ſeſe conſideratis.

Hæc omnia ſunt noua, & iam demùm addita.

Quæſtio de prima declinatione.

7 *An omnia nomina primæ declinationis flectantur ſecundum terminationes caſuales eiuſdem declinationis in vtroque numero?*

Prætatiuncula.

Quæſt. Quanquã quæ hactenus à nobis huc vſq; de quinq; nominis declinationibus in genere & vniuerſaliter diſputata ſunt, ſufficere videri poſſunt ad aſſerendam Grammaticæ veſtræ

ſtræ veritatem in ijs omnibus, quæ de his traduntur: tamen quia hanc in puerorum tenellorum gratiam potiſſimum, ſuſcepimus operam, non pigebit iam deinceps quædam in vnaquaque ſigillatim declinatione obijcere, quibus paratiores & promptiores reddâtur rei literariæ tyrones ad ea ferè omnia diluenda, quæ contra regulas Grammaticales in hoc argumento adduci poſſint. Primùm igitur à te quæro, quid de hac quæſtione ſtatuas: An ſcilicet omnia primæ declinationis nomina ſemper in omnibus caſibus tam ſingularibus, quàm pluralibus admittunt eaſdem terminationes, quas affirmat Grammatica huic declinationi eſſe peculiares?

Reſp. *Habent omnia nomina primæ declinationis in vtroq; numero eaſdem caſuum terminationes, quas illis aſcribit Grammatica.*

Quæſt. Aſt carent multa nomina primæ declinationis numero plurali, præſertim ſi propria nomina fuerint: non poſſunt ergo in vtroque numero eaſdem habere terminationes. Nôſti etiam multa nomina fœminina huius declinationis non habere ſingularem numerum: Hìc igitur fallunt quoq; regulæ Grammaticales.

Reſp. *Sunt huiuſmodi nomina, heteroclita defi-* Solutio.
cientia. Debet autem hæc quæſtio intelligi de nominibus perfectis, & regularibus. Præterea etiam in talibus fingendis eſt numerus deficiens, qui ſi eſ-

set in vsu, haberet easdem terminationes. Agis igitur tu mecum subdolè & sophisticè.

Alia instantia. *Quæst.* Remoto itaque omni dolo & fraude (vt iam agam tantummodò de nominibus integris, & regularibus), terminatio nominatiui singularis in hac declinatione habetur in *a*, nonne?

Resp. *In Latinis dictionibus nominatiui singularis terminatio in prima declinatione est semper in* (a).

Quæst. At ego tibi ex Plauto ostendam nominatiuum singularem huius declinationis in (*am*).

Resp. *Dictio fortassis est Hebræa, vt Adam, Abraham, aut huiusmodi.*

Quæst. Imò dictio est merè Latina, si modò vox hæc (patria) dicto sit Latina.

Resp. *Potesne tu ex Plauto ostendere* (*patriam*) *in nominatiuo singulari?*

Quæst. Quid ni possim, nisi tu hunc nodum dextrè dissolueris? Sic enim loquitur in Comœdia, quæ inscribitur Persa; Actum & Scænam non noto, quia non distinguitur exemplar, quod sequor, in Actus & Scænas.

Resp. *Facilè tibi hîc assentior. Nam & ego quoq; vidi huiusmodi exemplaria. Sufficiet igitur, si locum solummodò demonstraueris.*

Patriam in nominatiuo. *Quæst.* Sunt hæc illius verba in Comœdia superiùs citata: At ego patriam te rogo, quæ sit tua.

Resp.

Resp. *Non est (patriam) hoc loco nominatiui, sed accusatiui casus.* Solutio.

Quæst. Itáne demùm: An non videntur hoc modo ordinanda esse verba: Rogo te, quæ sit patriam tua.

Resp. *Non possunt ita collocari hæc verba. Insulsa enim, & auribus insuauis & horrida esset huiusmodi loquendi ratio.*

Quæst. Quid igitur respondes?

Resp. *Dico in his verbis manifestam inesse Antiptosim, Ponitur hic enim accusatiuus pro nominatiuo, vt in hac locutione; Vrbem, quam statuo, vestra est.*

Quæst. Dextrè sanè respondisti, & possunt studiosi adolescentes infinitas huiusmodi loquendi formulas apud Plautum obseruare: Pergo tamen adhuc alia obijcere de terminatione genitiui tam singularis, quàm pluralis, in hac declinatione.

Resp. *Nihil tu quidem (vt video) intactum relinques, quò possint iuniores omnia aduersariorum argumenta eludere in his & similibus obiectionibus. Quid est autem, quod præterea opponas?*

Quæst. Quæro vlteriùs de genitiuo singulari, an hic semper exeat in *æ* diphthongo?

Resp. *Sic docet Grammatica, verissimèque (vt opinor) docet.*

Quæst. Aliter tamen loquitur Plautus, cuius sunt hæc verba ex Prologo in Pœnulum: Sed Alia instantia.

nisi

nisi molestum est, nomen vobis dare volo (Comœdias).

Resp. *Quid hîc quæris?*

Quæst. Non negabis, opinor, vocabulum (Comœdias) esse hoc loco genitiui casus?

Resp. *Fateor.*

Quæst. Fateris igitur id quod maximè volo, nempè genitiuum singularem primæ declinationis non desinere semper in (æ) diphthongo.

Solutio. Resp. *Intelligenda est hæc quæstio de dictionibus Latinis. Est autem (Comœdia) vox Græca, & secundæ declinationis simpliciũ, quæ exit in* as, *cum nominatiuus exit in* a *purum, hoc est, præcedente vocali, aut diphthongo, quod & in alijs dictionibus est obseruandum, sicut antea superius est annotatum in illis, quæ generaliter de quinque declinationibus sunt disputata.*

Quæst. Bene se res habet. Sufficere enim potest hæc responsio in multis alijs eiusdem sortis quæ vbique sunt obuia. Sed priusquam huic disputationi finem imponam, restant quædam quæ contra terminationem genitiui pluralis in hac prima declinatione opponam.

Resp. *Quænam sunt illa demùm?*

Quæst. Terminatur hic genitiuus semper in *arum*, estq; imparisyllabicus, hoc est, vincit nominatiuum & reliquos obliquos numero syllabarum.

Resp. *Sic est vt dicis.*

Quæst.

Quæst. Quoties tamen apud poëtas legisti hanc genitiuum desinere in *um* : vt Anchisiadûm, Troijgenûm, Dardanidûm,& similia penè infinita. In his verò genitiuus non exit in *arum* sed in *um* contra regulam. Alia instantia.

Resp. *Sunt hæc syncopata, hoc est, amittunt syllabam penultimam per figuram syncopen : atque hac ratione fit etiam, vt sic abbreuiata fiant in hoc casu parisyllabica, hoc est, paria syllabarum numero reliquis casibus pluralibus.* Solutio.

Quæst. Strenuè & validè te defendisti in hac quæstione. Tentabo deinceps quid possis in secunda declinatione.

Quæstio de secunda declinatione.

An omnia nomina secundæ declinationis flectantur secundum terminationes casuales eiusdem declinationis in vtroque numero? 8

Quæst. Satis tu quidem acriter, & animosè tela mea propulsâsti, quæ contra primæ declinationis terminationes casuales vibraui; ita vt te saluum, & regulas Grammaticales in hac parte illæsas conseruaueris. Cum autem nihil ferè sit relictum, quod contra illam declinationem obijci possit, cuius tu diluendi viam puerulis non commonstraueris, pergamus eádem sedulitate & diligentia in secundæ decli- Præfatiuncula

nationis terminationibus discutiendis, quò planiora & faciliora hîc quoque tenellorum ingenijs relinquantur omnia. Profer itaque in hoc argumento tuam de hac quæstione sententiam.

Resp. *Grammaticam sentio, omnia verissimè de terminationibus huius declinationis tradidisse.*

Quæst. Quomodo ergo terminatur vocatiuus singularis in hac declinatione?

Resp. *In Latinis dictionibus, quarum nominatiuus singularis exit vel in* er, ir, ur, *vel* um, *vocatiuus semper est similis nominatiuo. Cum verò nominatiuus singularis desinit in* us, *vocatiuus desinet in* e, *paucis quibusdam exceptis, quæ exprimuntur in Grammatica.*

Quæst. Inter illa nomina huius declinationis, quorum nominatiuus singularis terminatur in *er* (in quorum numero est vocabulum puer), fit interdum vt vocatiuus desinat in *e*, quod vel maximè facit contra hanc tuam responsionem.

Resp. *Expecto vt hoc probes, vel vnico (si potes) exemplo ex probato aliquo authore adducto.*

Obiectio. Sæpissimè alijs in locis ita loquitur Plautus, vt in Indice ad finem harum disputationum videre licet.

Quæst. Is profectò author præstò est, Plautus scilicet, qui in Asinariæ actu secundo, Scæna verò tertia, hæc habet verba: I puere pulta.

Resp. *Multa tu quidem debes Plauto, qui tibi tam locupletem suppeditat exemplorum copiam, quæ tam expeditè, & promptè conaris contra Gram-*

matica

matica regulas intorquere, contra Plauti tui fortassis sententiam & mentem.

Quæst. Est sanè Plautus è multis author dignissimus, quem diurna, nocturnáq; manu versent studiosi adolescentes, vt & sibijpsis satisfaciant in obseruatione antiquorum vocabulorum,& habeant in promptu quæ alijs obijciant quò illorum ingeniorum in respondendo probent acumen. Sed quo pacto te hîc expedies, & qua demùm ratione hanc obiectiunculam dissolues?

Solutio.

Resp. *Tu ipse, prudensne, an imprudens nescio, idoneam mihi commonstrâsti respondendi viam: Dico enim antiquam, & iam exoletam esse hanc loquendi formulam. Nam apud veteres in vsu(licèt rariore) erat puerus, æquè ac puer in nominatiuo, à quo descendit vocatiuus puere hoc loco, non autem à nominatiuo puer. Sunt autem hæc & similia obseruanda nunc potiùs quàm imitanda.*

Quæst. Nihil habeo, quod in hoc tuo responso iure reprehendere possum, pergam tamen, atque alia adhuc obijciam, contra huius declinationis terminationes; vt nullus relinquatur alicuius momenti scrupulus, quo iuniorum animi diuexari queant in huiusmodi obiectionibus. Doce itaque quæ sit terminatio vocatiui singularis à nominatiuo singulari in *us* in hac declinatione.

Resp. *Egimus satis amplè hac de re paulò superiùs:*

periùs: quò tu tamen plura obijcias, eò minùs loci erit alijs turbandi iuniores talibus captiunculis. Dico itaque (vti prius) vocatiuum singularem à nominatiuo in us *finire generaliter in e in Latinis dictionibus, si paucula quædam excipias, de quibus meminit Grammatica in tractatione huius declinationis.*

Alia obiectio. *Quæst.* Adiectiuum tamen *meus, mea, meum,* facit *meus* in vocatiuo singulari.

Resp. *Quid hoc ad rem? Agimus nos de nomine, tu verò obijcis de pronomine. Sed quia quoad inflectendi rationem, non est magna inter adiectiua nominalia & pronominalia (si ita loqui liceat) huius terminationis, differentia, vide sis, quo pacto quod tam audacter affirmâsti, probare poteris.*

Quæst. Virgilius poëtarum Latinorum doctissimus ita loquitur in sexto Æneidos: Proijce tela manu sanguis meus. Non autem negaueris esse vocem sanguis hoc loco vocatiui casus.

Solutio. Resp. *Imò verò, est hîc (sanguis) nominatiui casus pro vocatiuo per figuram Antiptosin.*

Alia obiectio. *Quæst.* Siccine venis ad omnia paratus & instructus? Vox Latmius, Apollinis epitheton, estne & illa quoque pronomen? Quid enim non aulis affirmare, si cauillari libeat?

Resp. *Tu profectò cauillator es egregius, & nugator maximus. Quid hinc concludis?*

Quæst. Facit vocatiuum similem nominatiuo.

uo. Sic enim Ouidius (quod & Grammatica tua, cuius tam ſtrenuus ſeu pertinax potius es patronus, verbis diſertiſſimis affirmat), Latmius Endymion, non eſt tibi luna rubori ? Num & hic quoque erit Endymion nominatiuus pro vocatiuo per Antiptoſin ?

Reſp. *Negari non poteſt eſſe hîc (Endymion) vocatiui caſus.*

Quæſt. Quî fit igitur quòd (Latmius) vocatiui caſus ſit hoc loco nominatiuo ſimilis?

Reſp. *Reſpondeat pro ſeſe ipſa Grammatica,* Solutio. *quæ docet Ouidium in hac locutione manifeſto vti* Atticiſmus. *Atticiſmo. Attici enim inter Græcos in omni declinatione faciunt ſemper vocatiuum nominatiuo ſimilem.*

Quæſt. Non te ſic dimittam. Reſponde de nominatiuo ſingulari in hac declinatione : An non ille aliquando deſinit in *os ?*

Reſp. *In Græcis ſæpius : in Latinis verò (quod ſciam) nunquam.*

Quæſt. Tu mihi videris in veterum Scriptorum lectione parùm verſatus, apud quos, Comœdiographos (dico) & Tragœdiographos præſertim, ſæpius ferè occurrit hæc terminatio in nominatiuo ſingulari ſecundæ declinationis quàm tibi ſunt numero capitis pili. Ego tamen, qui breuitati ſtudeo, vno atque altero exemplo ero contentus. Ex Plauti Amphitruonis prologo hoc primùm obſerua. Quaſi neſciam vos Alia obiectio.

velle, qui Diuos siem. Atque iterum ex Plauti Capteiueis, in argumento. Alium quadrimum fugiens seruos vendidit. Sed quid opus est in re tam manifesta, testibus vti non necessarijs? Quid autem respondes?

Solutio. Resp. *Sit ita vt dicis. In his tamen omnibus terminatio* os *pro* us *ponitur, secundum priscam loquendi consuetudinem, quod tibi sit semel pro omnibus huius generis locutionibus responsum.*

Quæst. Dic tamen, qua libertate seu potius licentia tantum sibi veteres in loquendo permiserunt.

Resp. *Per figuram Archaismon.*

Quæst. Quid est Archaismos?

Archaismos. Resp. *Est vetus loquendi mos, priscis Scriptoribus valdè familiaris, qui nunc exolevit, nullóq; ferè est in vsu apud recentiores.*

Quæst. De terminationibus casuum singularis numeri in secunda declinatione, hæc obiecisse sufficiat. Sed pauca addamus de casibus pluralibus.

Resp. *Habes ne quod hic quoq; obijcias?*

Quæst. In puerorum gratiam non pigebit omnia tentare, quò illorum studia proueham. Hîc ergo à te quæro, quæ sit terminatio genitiui pluralis.

Resp. *Is casus terminatur in* orum.

Quæst. Quid adfers igitur, quo hasce loquendi

quendi formulas tutari possis, deûm, virûm, & similia? Alia obiectio.

Resp. *Sunt quidem apud Poëtas præcipuè, satis frequentes hi genitiui in* ûm *pro in* orum, *de quibus tibi respondeat Grammatica regia, quæ affirmat has Syncopationes esse pueris obseruandas: hoc est, docet Grammatica syllabam antepenultimam in hisce locutionibus deleri per figuram Syncopen, vtì superiùs in prima declinatione est responsum. In his verò exemplis deûm, virûm, ponuntur pro deorum, virorum, quod idem in reliquis huius sortis est respondendum.* Solutio.

Quæst. Vnum adhuc telum contra datiui & ablatiui terminationes plurales in hac declinatione vibrabo, quod si dextrè euitaueris, statim ad tertiæ declinationis terminationes me conuertam.

Resp. *Hîc etiam me tibi esse satisfacturum confido.*

Quæst. Hosce casus contra regulam reperio sæpius in *eis*, non autem in *is*. Alia obiectio.

Resp. *Vnico tibi verbulo respondeo, delectari admodum veteres præponendo vocalem* e, *vocali* i, *in his casibus, vt ex vtrisque coniunctis facerent diphthongum, vt captiueis, pro captiuis. Et ita in aliis.*

Quæstio de tertia declinatione.

9 *An omnia nomina tertiæ declinationis flectantur secundum terminationes casuales eiusdem declinationis in vtroque numero?*

Præfatiuncula. QVæst. Spatiosus & amplus in hac declinatione offertur disputandi locus, adeò vt si omnia persequerer, quæ hîc occurrunt, dubitandique causas iustas præbent, longè facilius sit initium, quàm finem obijciendi inuenire. Ego tamen, quia nimia prolixitate nemini molestus esse velim, solita vtar hoc loco etiam breuitate, paucaque tantùm è multis perstringam, quæ aliquid negotij imperitioribus exhibere posse videantur. Reliqua enim in illis, quæ in hanc declinationem in Grammatica regia annotantur, petere possunt literariæ militiæ tyrones. Exordiar itaque ab eo potissimùm quod tradit Grammatica de ijs nominibus, quæ in hac declinatione in nominatiuo singulari exeunt in *a*.

Resp. *Sunt hæc quidem omnia Græca, neutriusque generis.*

Quæst. In hoc tibi facilè assentior, esse scilicet omnia in *a* in hac declinatione, Græca; non autem hoc tibi concedam, quod in posteriore responsionis

responsionis tuæ parte asserüisti, esse etiam omnia illa neutrius generis.

Resp. *Cur non eádem facilitate concedis, hoc posterius, quàm prius?*

Quæst. Quia contrarium docebo ex Plauto, qui duplicis erroris Grammaticam tuam hîc conuincit.

Resp. *Hoc quo pacto faciat, ostende.*

Quæst. Nihil est factu facilius, si (quod est necesse) fateare omnia hæc nomina in *a*, exempli gratia, Poëma, problema, dogma, schema, & similia, esse grauantia penultimam syllabam genitiui crescentis, inflectique ad formam nominum tertiæ declinationis apud Latinos.

Resp. *Hæc omnia fateor libentissimè.* Obiectio.

Quæst. Illud ergo quod prius protuli exemplum, Schema, in horum nominum numero ponis, nonne?

Resp. *Vel maximè.*

Quæst. Sed non est apud Plautum, vel neutrius generis, vel tertiæ declinationis, vel denique grauans penultimam genitiui crescentis.

Resp. *Hæc omnia tibi sunt manifestè probanda, nec nudè duntaxat affirmanda.*

Quæst. Sunt hæc Mercurij verba in prologo Amphitruonis apud Plautum: Quod ego huc processi sic cum seruili schema: pro quo secundum Grammaticæ tuæ canones dicendum fuerat, cum seruili schemate. Est autem hoc loco

nomen

nomen (Schema) ablatiui casus, fœminini generis, & primæ declinationis.

Resp. *Est hoc vnicum exemplum.*

Quæst. Esto. Infringit tamen Grammaticæ regulam. Sunt verò & alia huiusmodi. Pascha enim (vt cætera omittam) sæpissimè legitur fœminini generis, & primæ declinationis.

Pascha.

Resp. *Sunt hæc, & similia valdè rara, priscisque potius relinquenda, quàm imitanda. Non reprehendo tamen tuam industriam. Tuo namque exemplo prouocati studiosi iuuenes, talia multa fortassis & ipsi per sese ad magnam suam utilitatem & emolumentum obseruabunt, vel apud hunc Plautum, vel apud alios eiusdem farinæ veteres scriptores.*

Solutio.

Quæst. Nolo te strictiùs premere in terminationibus nominatiui singularis huius declinationis, tametsi multa sint in promptu, quibus te vexare liceat; sed quæro vlteriùs de terminatione genitiui singularis in hac tertia declinatione.

Resp. *Genitiuus tertiæ declinationis, & singularis numeri in Latinis dictionibus, vel formam Latinorum sequentibus, desinit in* is.

Quæst. Quid igitur ad hæc, & similia respondes (plura enim proferre libet, ne, si te vno tantùm vrgerem exemplo, recurras ad tritum illud effugium: vnicum est exemplum: vna hirundo non facit ver), Duri miles Vlyssi, immitis Achilli:

Obiectio de genitiuo in i.

li: acris Oronti: fortis Achati? Atque his plura tibi subministrabit diligens & frequens poëtarum lectio.

Resp. *Quid si dicam, hæc omnia à te prolata esse Græca?*

Quæst. Esto. Adde etiam (si placet) ex his pleraque inflecti & secundum formam primæ declinationis, atque etiam secundum formam tertiæ declinationis. Necesse tamen est, cùm declinantur more nominum tertiæ declinationis, vt genitiuus singularis non desinat in (*i*) sed in (*is*),

Resp. *Quid si cum alijs respondeam esse hæc datiui, non autem genitiui casus.*

Quæst. Grauiter mea quidem sententia, cum alijs sic respondendo errabis. Tametsi non nesciam magni nominis alioqui Grammaticos sic docere, poni scilicet in hisce locutionibus datiuum pro genitiuo; vt in allatis priùs exemplis, Vlyssi pro Vlyssis, Achilli pro Achillis, Oronti pro Orontis, Achati pro Achatis.

Resp. *Qua verò ratione constabit illos tanti nominis authores sic docendo errâsse?*

Quæst. Quia adiectiua illis substantiuis adiuncta sunt omnia genitiui casus. Non satisfaciat mihi igitur hæc tua responsio.

Resp. *Et mihi sanè vix constat quid hîc statuam. Video enim varias esse doctorum hac de re sententias, vt fusiùs docet doctissimus Erythræus in* Erythræus. *suis*

ſuis in Virgilium annotationibus ſuper hoc ipſo vocabulo Vlyſſi.

Quæſt. Oſtende tamen quid tibi videatur probabilius, ne incerti hæreant rudiores & imperitiores.

Vera ſolutio de Vlyſſi, Achilli, & ſimilibus.

Reſp. *De vocabulo Vlyſſi, quo vtitur Virgilius initio ſecundi libri Æneidos (quod idem dictum ſit de Achilli) notandum eſt eſſe illud apud Græcos tertiæ declinationis contractorum, cuius cùm nominatiuus deſinit in εὺς & genitiuus in έος, vt Vlyſſeus Vlyſſeos; & ita de reliquis eiuſdem generis: ſolebant veteres Grammatici facere illud per εὺς diuiſas ſyllabas, cuius genitiuum efferebant per ei ſyllabas item diuiſas, vt Vlyſſeus, Vlyſſei: has autem vocales per Synecphoneſin contrahebant in ei diphthongum, vt Vlyſſei, pro Vlyſſēi, & poſteà per Synæreſin illam ipſam diphthongum extulerunt per i, vt Vlyſſi pro Vlyſſei, ſicut apparet in loco priùs citato. Atque idem eſto iudicium de reliquis in εὺς tertiæ declinationis.*

Quæſt. Huc igitur redit verborum tuorum ſumma: eſſe videlicet in huiuſmodi locutionibus, Vlyſſi, Achilli & ſimilibus à tertia declinatione contractorum in *eus* deriuatis, non tertiæ ſed ſecundæ declinationis Latinorum formam, atq; hac ratione facere genitiuum in (*i*) iuxta formam huius declinationis.

Reſp. *Hæc mea eſt ſententia: ſed qui plura de hac re cupit, legat Erythræi annotationes in Virgilium*

in

in loco, cuius paulò ante mentionem feci. Ego enim breuitati ſtudeo. De ablatiuo ergo ſingulari tertiæ declinationis quid demum ſtatuis?

Reſp. *Ablatiuus eſt aliquando in* e, *aliquando in* i, *aliquando in vtraque hac terminatione iuxta regulas hac de re traditas.*

Quæſt. Multa ſunt igitur quæ ſemper faciunt ablatiuum in *e*, multa ſemper in i, multa deniq; tam in e, quàm in *i*.

Reſp. *Sic eſt.*

Quæſt. Vt igitur alia plura omittam, quomodo faciunt hæc vocabula (pars, & collis) ablatiuum ſingularem? Alia obiectio. Plautus in Menechmis.

Reſp. *Sunt hæc ex illorum genere, quæ (quantum memini) ablatiuum ſemper habent in* e. De parti mea.

Quæſt. Labilis eſt valdè tua memoria, ſi neſcias hæc nomina aliter aliquando terminari.

Reſp. *Tu qui tantum tibi de memoria tua policeris, allato vno atque altero exemplo, oſtende vbi hæc aliter terminentur, quàm in* e, *in ablatiuo ſingulari.*

Quæſt. Hæc ſunt Ciceronis verba (teſtante Gifanio in Lucretij collectaneis), Parti miſcetur in vna. Ouidius etiam primo Metamorph. hæc habet verba: In mare perueniunt partim, partique recepta liberioris aquæ. i pro e apud veteres in ablatiuo ſingulari tertiæ declinationis in quibuſdam dictionibus.

Reſp. *Satis ſunt hæc aperta & manifeſta de vocabulo (parte). Profer iam itidem teſtimonia ſimilia de vocabulo (colli).*

Quæſt.

Quæst. Vide eundem ipſum Gifanium in Lucretij collectaneis ſuper hoc ipſo vocabulo (colli), vbi etiam ex Cicerone oſtendit dictionem (ciuis) inueniri in ablatiuo ſingulari, ciui: nec pigebit in ſtudioſorum puerorum gratiam ipſius verba citare. Cic. 4. Verr. non longè ab initio. Quod ciuis Romanus à Siculo petit, Siculus iudex datur: quod Siculus à ciui Romano, ciuis Romanus datur. Et paulò infra: Primum ſuæ leges, quod ciuis cum ciui ageret. Ex Valerio item, libr. 6. oſtendit à voce (fuſtis) legi fuſti in ablatiuo. Metellus vxorem, quòd vinum bibiſſet, fuſti percuſſam interemit.

Vera ſolutio ſuperioris obiectionis.

Reſp. *Non poſſum tibi ad hæc omnia melius reſpondere, quàm ipſius Gifanij, viri vndequaque doctiſſimi, verbis ad eundem locum: mira (inquit) erat veteribus harum literarum* i *&* e *inter ſe commutatio, teſte etiam Macrobio. Hinc here, & heri, miani & mine, &c. Hinc peregre, & peregri, &c. Quodidem obſeruabunt ingenioſi & induſtrij adoleſcentes in alijs pluribus apud Plautum, & reliquos veteres.*

Quæſt. Sic ergo reſpondes: in his, & ſimilibus, *i* pro *e* poni apud Scriptores antiquos.

Reſp. *Maximè.*

Quæſt. Nolo plura perſequi de terminationibus caſualibus huius declinationis in numero ſingulari, ne nimis prolixus eſſe videar. Quare eum vnum atque alterum argumentum contra caſuales

casuales terminationes plurales accusatiui & ablatiui in hac tertia declinatione proposuero, ad quartam declinationem me conuertam.

Resp. *Non te (opinor) de nimia prolixitate accusabunt meliorie notæ scholastici, cum omnem hanc operam in illorum gratiam susceperis.*

Quæst. Dic igitur, quomodo terminetur accusatiuus pluralis tertiæ declinationis.

Resp. *In Latinis dictionibus, si non fuerit generis neutrius, accusatiuus pluralis exit in* es.

Quæst. Quo pacto igitur defendis Virgilianum illud? Estq; locus parteis vbi se via findit in ambas. Infinita etiam sunt alia huius generis, quæ vbique occurrunt in antiquorum scriptorum lectione. Accusatiuus in eis.

Resp. *Veteres indifferenter hunc accusatiuum pluralem tertiæ declinationis in masculinis & fœmininis efferebant tam in* eis, *quàm in* es, *quod est pueris diligenter obseruandum.* Solutio.

Quæst. Non tamen adhuc ita te dimittam, cum sæpissimè legam hunc accusatiuum pluralem apud veteres exire in (*is*), cuius rei cùm infinita sint exempla, sufficiat hoc vnicum Plautinum pro multis, ex Amphitruonis actu quinto, Scæna 1. Pue rambo anguis enecat. Accusatiuus in is.

Resp. *Non ignoro talia multa reperiri in* is *in accusatiuo plurali huius declinationis. Sufficiat autem pro his, & alijs omnibus huius generis semel respondisse, miram fuisse apud veteres inter has li-* Solutio.

teras

terras e, *&* i, *commutationem. In his igitur & similibus* is *pro* es *ponitur, vt in hoc ipso exemplo à te allato, anguis pro angues.*

Quæst. Non tamen hic euades, tametsi mihi vtcunque satisfaciat hæc tua responsio. Maior enim latet in hac sententia difficultas.

Resp. *Quænam est illa tandem?*

Quæst. De genere huius vocabuli (anguis).

Resp. *Est anguis quidem dubij generis.*

Obiectio de genere huius vocabuli anguis.

Quæst. Apparet tamen hoc loco esse neutrius generis, nec desinere in *a* cum sit accusatiuus pluralis.

Resp. *Vnde probas esse neutrius generis?*

Quæst. Quia iungitur cum adiectiuo ambo, neutrius generis. Conuenit autem adiectiuum cum substantiuo, casu, genere, & numero.

Solutio.

Resp. *Mirè tu quidem hîc sophisticaris, vt & anteà sæpiùs. Sed vt os occludatur hisce tuis nugis & cauillationibus, sciant iuniores has voces ambo, & duo sæpissimè apud probatissimos autores vsurpari tam fœminino, quam masculino genere, eádem prorsus ratione, qua apud Græcos ἄμφω, & δύο, quod etiam à doctis Grammaticis sedulò est annotatum.*

Obiectio de datiuis & ablatiuis pluralibus 3. declinationis.

Quæst. De terminatione igitur datiui & ablatiui pluralis numeri in hac tertia declinatione quæ tua est sententia?

Resp. *In Latinis dictionibus, aut formam latinam sequentibus Græcis, terminantur hi quidem casu*

sus in bus.

Quæst. Quoties tamen legere licet hos casus in (*tis*) more nominum secundæ declinationis, exempli gratiâ, problematis, poëmatis, cum multis similibus, quæ frequentissimo sunt in vsu?

Solutio.

Resp. *Sciendum est hosce datiuos & ablatiuos heteroclitos à nominatiuis neutralibus in* a *prouenire, vt problema, poëma, & cetera; quas voces veteres iuxta formam secundæ declinationis inclinabant, addita syllaba* (tum), *vt problematum, poëmatum, & ita de reliquis.*

Quæst. Sufficiat de his hactenus inter nos concertâsse. Omnia enim persequi nimiæ videatur diligentiæ. Estque locus relinquendus & alijs, vbi suam operam vtiliter nauare possint in hoc, vel simili argumento.

Quæstio de quarta declinatione.

An omnia nomina quartæ declinationis inflectantur secundum terminationes casuales eiusdem declinationis in vtroque numero? 10

Quæst. Qua hactenus vsi sumus in tribus præcedentibus declinationibus diligentia, eandem etiam in duabus reliquis adhibere æquum esse duximus; vt omnibus accuratè perpensis, & examinatis, quæ aliquid negotij aut Præfatiuncula

moleſtiæ bonarum literarum ſtudioſis adoleſcentibus faceſſere poſſe videantur, inſtructiores tandem ad omnia aduerſariorum tela in hoc genere propellenda reddantur. Cum verò te ſatis promptum, exhis quæ prius reſpondiſti, ad omnia illa tutanda quæ de hiſce affirmat Grammatica, eſſe intellexerim, primùm à te libenter percontari velim, num genitiuus huius quartæ declinationis ſingularis ſemper finiat in *us*?

Reſp. *Sic tradit Regia Grammatica, à cuius veſtigijs vel latum quidem vnguem recedere, mihi ſanè religio eſt.*

Quæſt. Tu igitur (vt videtur) cum multis potius errare, quàm cum paucis rectè ſentire mauis.

Reſp. *Labi, errare, decipi, humanum eſt. Errores tamen & lapſus meos, ſi quos mihi fortè oſtenderis, nullo modo tutari volo, aut defendere.*

Quæſt. Manifeſtus eſt error, ſi affirmes genitiuum ſingularem quartæ declinationis deſinere ſemper in *us*.

Reſp. *Hoc cum oſtenderis, meum me errorem quàm citiſſimè reuocaturum eſſe deprehendes.*

Anuis, tumulti ornati, in genitiuo ſingulari quartæ inflexionis.

Quæſt. Conſule Grammaticam noſtram in annotationibus ad hanc declinationem, vbi tribus adductis exemplis (ex quibus colligere videtur non poſſe plura eiuſmodi demonſtrari) oſtēdit alios olim terminationes admiſiſſe hunc genitiuum

genitiuum singularem. Ego verò talia multa posse inueniri affirmo. Sic enim Plautus in actu primo Aululariæ, scæ. secunda: nam hîc apud nos nihil est aliud quæsti furibus. Atque iterum, ex actu quarta, scæ. 8: Tantum gemitique mali, molestiæque hic dies mihi obtulit. Postea ex Casinæ actu primo, scæ. nona. Sed eccum egreditur senati columen. Nec dubito quin multa his similia, si sedulus veterum scripta euoluas, obseruatione digna reperire poteris.

Resp. *Nec negat Grammatica plura his tribus inueniri posse. Illa autem satis putauit esse ad confirmandam veterem loquendi consuetudinem.*

Quæst. Satis sunt illa quidem, superque, nisi tu rationem aliquam inuenias, qua Grammaticam hac in parte excuses.

Resp. *Non opus est alia excusatione, quàm si dixero multa licuisse veteribus, quæ apud nos nullo iam sunt in vsu.* Solutio.

Quæst. Non reprehendo tuum de hisce iudicium: illud tamen me malè habet, quòd non satis constat de genere vocabuli (anuis), quod docet Grammatica ex Terentio, genitiuum esse à voce (anus). De genere vocabuli anuis.

Resp. *Quid habes quod hîc meritò tibi displiceat?*

Quæst. Videtur Plautus genere masculino hanc vocem vsurpâsse.

Resp. *Lippis atq; tonsoribus (quod aiunt) satis constat anum esse fœminini generis.*

Quæst. Mutabis fortassis sententiam, si diligenter perpendas quomodo loquatur Plautus in Rudente: cuius hæc sunt verba: Neque digniorem censeo vidisse anum me quenquam.

Solutio. Vide indicem. Resp. *Sæpiùs leges apud Plautum, Terentium & alios, pronomen quisquam in hac ipsa terminatione esse communis generis, cuius (ni brevitati studerem) plurima proferre possim exempla. Rara tamen sunt hæc, nec temerè imitanda. Atq; hoc etiam annotandum est pueris de eo, quod docet Grammatica de terminatione dativi singularis huius declinationis aliquando in* (u). *Plura enim occurrunt inter legendum exempla, quàm quæ in Grammatica exprimuntur.*

Quæst. Satis es in respondendo dexter, & fœlix. Tentabo te tamen vnica adhuc obiectiObiectio. uncula de terminatione accusatiui pluralis in hac quarta declinatione.

Resp. *Accusatiuus pluralis à nominativo singulari huius declinationis in* us, *exibit semper in* us.

Quæst. Artus igitur habet in accusatiuo plurali artus quoq; an non? Est enim vox artus quartæ declinationis.

Resp. *Artus in numero plurali facit in accusatiuo artus.*

Quæst. Ast aliter loquitur Plautus in Menæchmis,

næchmis, actu quinto, scena secunda: Ita mihi imperas, vt ego membra huius, atque ossa, atque artua comminuam illo scipione, quem ipse habet.

Resp. *Est & hac quoque dictio (artus) in illorum heteroclitorum genere ponenda, quæ vocant luxuriantia sine redundantia. Legimus enim artus, masculini generis, & artu neutrius generis, à quo in accusatiuo plurali est artua, non autem artus, vt à cornu, cornua, quod à pueris est diligenter obseruandum.* Solutio. Artus & artu.

Quæst. Volueram hîc huic quæstioni finem imponere. Venit autem mihi in mentem (quod penè oblitus eram) id quod notatu est dignissimum de dictione ficus pro fructu, quod vno ferè consensu affirmant Grammatici esse quartæ huius inflectionis, & ablatiuum pluralem facere in *ubus*. Atque hoc etiam ex faceto Martialis in Cæcilianum loco colligere licet, cuius hæc sunt verba. De ficu pro fructu digna annotatio.

Cùm dixi ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos Cæciliane iubes.
Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos Cæciliane tuos.

Resp. *Quid sibi volunt hæc tam altè petita?*

Quæst. Vocem ficus esse quartæ inflectionis, cùm fructum vel arborem significat, facere tamen ficis in ablatiuo plurali contra plerorum-

que Grammaticorum, atq; adeò Martialis ipsius sententiam.

Resp. *Vix credo te posse hanc tuam assertionem probati alicuius scriptoris authoritate confirmare.*

Quæst. Sunt hæc Plauti verba in Rudente, Actu quarto, Scæn. quarta. Ficis victitamus aridis.

Resp. *Manifestum est hoc testimonium, esse hoc vocabulum ficus in hac significatione tam secundæ quàm quartæ declinationis contra plurimorum opinionem. Ego tamen, vt pro me ipso respondeam, non puto apud alios authores posse facilè hanc vocem, in hac præsertim significatione, secundæ declinationis esse ostendi.*

Quæstio de quinta declinatione.

81 *An omnia nomina quintæ inflexionis declinentur secundum terminationes casuales eiusdem declinationis in vtroque numero?*

Præfatiuncula. *Quæst.* Peruenimus iam tandem ad quintam & vltimam nominum Latinorum declinationem, de qua pauca quoque restant dicenda, vt vndique muniantur rerum Grammaticalium rudiores; vt quamcunque in formam sese vertant, & commutent subdoli & vafri disputatores, vel potius astuti & versipelles cauillatores,

latores, habeant ad manum (quod aiunt) & in promptu, quo aduersariorũ captiunculas nullo negotio eludant & deuitent. Quæ igitur in hac quoque classe alicuius momenti occurrent, breuiter & succinctè, vt poterimus, perstringemus. Eò autem strictius tecum hîc agam, quò pauciora reperio, quæ contra terminationes casuales in hac declinatione obijciam.

Resp. *Nihil tu quidem (vt video) intactum relinques. Profer itaque quicquid hîc quoque dubij habeas, in quo, vt in alijs, tibi (vt potero) breuiter satisfaciam.*

Quæst. De terminatione genitiui singularis in hac declinatione agam potissimùm; qui quidem casus iuxta Grammaticæ canones est imparisyllabicus, hoc est, vincit nominatiuum singularem numero syllabarum, & exit semper in *ëi*, syllabis diuisis. Obiectio de genitiuo singulari.

Resp. *Hac ego tibi facilè concedam.*

Quæst. Ego etiam hîc te falsitatis facilè conuincam.

Resp. *Videamus quàm possis viriliter hoc, quod tam audacter in te suscepisti, præstare, & defendere.*

Quæst. Vocabulum fames, vbique obvium, constat quintæ esse declinationis, nec tamen plures habet syllabas in genitiuo singulari, quàm in nominatiuo, nec genitiuum facit in *ëi*, sed in *is*. Fames.

Resp. *Non est fames quintæ declinationis, sed tertiæ.*

Quæst. Non potest esse tertiæ declinationis, quia habet ablatiuum in *e* longum, vt patet in hoc carmine.

Amissis (vt fama) apibus, morboq; fameq;.

Virgilius 4. Georgicorum.

Resp. *Quid si dicam produci e per cæsuram?*

Quæst. Hoc fieri non potest: quia non producitur post pedem absolutum, nec referri potest ad vllam cæsuræ speciem. Imò constanter affirmauerim nunquam legi *e* in fame breuem apud vllum melioris notæ poëtam.

Solutio.

Resp. *Ingenuè fateor fuisse quidem olim vocem fames quintæ declinationis, esse tamen nunc tertiæ declinationis, retinere tamen e in ablatiuo longũ more nominum quintæ declinationis, cuius & olim fuit apud veteres.*

Genitiuus singularis huius declinationis in *e*.

Quæst. Nolim vlteriùs tecum de hoc vocabulo contendere. Inuenio nihilominùs multa apud Poetas nomina huius declinationis, quæ habent genitiuum singularem in *e*, vt apud Virgilium: Libra die, somnique pares vbi fecerit horas. Et vt non dicas esse vnicum hoc exemplum, legere est apud eundem: Acie pars. Et apud Horatium, constantis iuuenem fide. Ouidius quoque de Tereo: Vtque fide pignus dextras vtriusque poposcit. Nec abhorrent solutæ orationis fide digni scriptores ab hac locutione. Hæc omnia, & his multò plura profert doctissimus

doctiſſimus Erythræus in ſuis in Virgilium annotationibus ſuper hoc ipſum vocabulum die, quò te breuitatis gratiâ remitto.

Reſp. *Probe mihi nota ſunt hæc omnia, addo etiam, legi hunc genitiuum aliquando in* ij, *aliquando etiam in* es, *quorum omnium apud eundem Erythræum exempla loco citato inuenies: ſunt tamen omnia hæc vetera, nec hodiè imitanda.*

Quæſt. Hæc ſi probè obſeruauerint ſtudioſi iuuenes, ad omnia ſophiſtarum argumenta facilè reſpondebunt, quæ obijci poſſunt in hac declinatione.

DISPVTATIO DE NOMINVM propriorum genere.

QVAESTIO.

An veræ ſint regulæ Grammaticales de generibus nominum propriorum? 12

Quæſt. Cum videam ſocios meos chariſſimos, qui huc vſque diſputarunt (viri clariſſimi) multa in medium attuliſſe, quibus vtrinque penſitatis, & examinatis per mutuas interrogandi & reſpondēdi vices, tantum abeſt, vt aliquod inde detrimenti acceperint rei Grammaticalis regulæ, & præceptiones; vt potius hac ratione illarum veritas clarior & manifeſtior, Præfatiuncula

festior, tenebris discussis & profligatis appareat: volui & ego virium mearum periculum facere in illarum regularum veritate excutienda, quæ traduntur in Grammatica de generibus nominum propriorum. Illas si tu veras esse defendis, qui respondendi munus in te hodierno die suscepisti, primo mihi hoc loco expedi, cuius statuas esse generis propria nomina Diuorum, virorum, fluuiorum, mensium, & ventorum.

Regula. Resp. *Hæc omnia ex regula facilè dignoscuntur esse masculini generis: propria, quæ maribus tribuuntur, masculà dicas.*

Quæst. Vt ergo primùm à primo exordiar, expone cuius sunt generis nomina Deorum propria?

Resp. *Sunt illa omnia masculini generis.*

Quæst. Erit igitur etiam masculini generis Cupido. Cupido Veneris filius, amorum ille Deus apud omnes poëtas dicantatus, & celeberrimus.

Resp. *Est sanè Cupido satis celebris, & notus poëtis omnibus, quos puto omnes de eodem nunquam nisi genere masculino locutos fuisse.*

Horatius. *Quæst.* Non videris mihi satis attentè legisse, quæ scribit Horatius Sermonum libro primo, Sermone quoq; primo.

Resp. *Quid offendis in illo Sermone, quo probet Cupidinem non esse masculini generis?*

Quæst. Citato loco, tu ipse feres iudicium. Sunt enim hæc verba Horatij. At bona pars hominum

minum decepta cupidine falsa. Nonne vides quàm fallacis Dei tutelam in te susceperis?

Resp. *Tu potiùs fallax es meritò censendus, qui mihi hoc pacto illudere conaris; vel re vera falsus es, si hæc ex animo proferas, vt Cupidinem Deum probes esse fœminini generis.*

Quæst. Cuius tu generis censes esse adiectivum (falsa), quod ego in hoc Horatij versiculo cum cupidine coniunctum esse reperio?

Resp. *Quis est in re Grammaticali tam rudis, qui nesciat Adiectiuum (falsa) esse fœminini generis?*

Quæst. Erit igitur Cupido necessariò fœminini generis. Fallet ergo hæc regula, quæ docet omnia Deorum nomina esse generis masculini.

Resp. *Disputas tu quidem fallaciter, & captiosè. Non enim est cupido in hoc loco Dei nomen, sed capitur pro auiditate, siue auaritia, & nimio habendi desiderio; in quo sensu, & significatione est generis fœminini.*

Quæst. Video non posse tibi dolo malo imponi. Ego autem hæc tentandi gratiâ tantum huc vsq; attuli. Agam verò deinde sincerè & sine fraude, serióque affirmo, te id quod postremò respondisti, firmiter probare non posse, nempe cupidinem pro habendi cupiditate, esse semper fœminini generis.

Hęc quę sequuntur ad hunc asteriscum * iam demùm adduntur.

Resp. *Si quid hîc erraui imprudens, tu me rectiùs*

rectiùs doce.

Quæst. Constat cupidinem in illa quàm tu attulisti significatione, legi sæpiùs in masculino genere.

Resp. *Expecto vt hoc probes.*

Quæst. Sordidus cupido reperitur apud Horatium.

Resp. *Sit ita vt dicis. Non video tamen cur non hoc dicatur de Cupidine, Deo videlicet amoris.*

Quæst. Merum est hoc cauillum. Sed adducam locum manifestiorem ex Seneca, qui ita loquitur: Auri cæcus cupido, teste Coupero in magno suo Thesauro. Memini etiam me apud Plautum hanc ipsam vocem in hac etiam significatione legere in masculino genere.

Resp. *Non negauero hæc ita esse vt dicis, sed variissimè in hoc genere reperitur, cuius admonuisse industrios lectores non omninò est superfluum, id quod velim præ alijs, rei literariæ tyrunculos præcipuè obseruare.*

Quæst. Multùm proderit, si hæc & similia diligenter annotent. Sed iam respondè de fluuiorum nominibus, an illa omnia sint masculina.

Resp. *Sic est omninò statuendum, si salua manere debeat Grammaticæ authoritas.*

Styx, Cocytus, Lethe.

Quæst. Styx, Cocytus, Lethe, fluuiorum nomina esse num negaueris?

Resp. *Quid hinc sequetur incommodi, si tibi hoc*

hoc concesſero?

Quæſt. Sunt hæc omnia fœminini generis, ergo non ſunt omnia fluuiorum nomina maſculini generis, vti docet regula Grammaticalis.

Reſp. *Non ſunt hæc fluuiorum, ſed ſtagnorum nomina, non faciunt itaque contra hanc regulam. Sunt præterea voces Græcæ, & apud Græcos fœminini generis. Non eſt ergo mirum, ſi apud Latinos cum Adiectiuis fœmininis iunctæ reperiantur.* Reſponſio.

Quæſt. Vis igitur illam regulam de fluuiorum nominibus prorſus Latinis eſſe intelligendam?

Reſp. *Sic volo. Græca enim ad Græcam originem ſunt referenda.*

Quæſt. Legimus tamen Abydos in genere fœminino, cùm conſtat nihilominùs nomen eſſe fluuij. Abydos.

Reſp. *Abydos Græca eſt etiam dictio, vt & ſuperiora à te citata, ſiue ſtagnorum, ſiue paludum nomina. Suſpicor quoque eſſe freti, potiùs quàm fluuij nomen, atque hac ratione ab hac regula excludi. Aut ſi dicerem eſſe Abydos opidi nomen ad ripam illius freti collocati, vbi magna ſolebat eſſe Oſtrearum copia, ac proinde fœminini generis, non video qua ratione poſſis, quod dixi, refutare.*

Quæſt. Sint hæc Græca & apud Latinos fœminina, quia apud Græcos ſunt eiuſdem generis: ego tamen in Latinis oſtendam fluuij nomen fœminini generis.

Reſp.

Resp. *Hoc ipsum efficies fortassis ad Calendas Græcas.*

Quæst. Imò sanè his ipsis Calendis Maijs. Sic enim reperio apud Poëtam (si bene memini) Ouidium: Albula pota Deo.

Albula.

Resp. *Est hæc oratio figuratiua. Non enim refertur adiectiuum (pota) ad substantiuum Albula, sed conuenit genere cum dictione (aqua) subaudita, per figuram Syntheſin. Est itaq; oratio huic similis: Centauro inuehitur magna, scilicet naui. Vel huic: Transtulit in Eunuchum suam, videlicet Comœdiam, vel fabulam.*

Quæst. Siccine omnia eludis per figuram? quomodo tandem respondebis ad hunc locum è Cæsaris Commentarijs, nempe libro septimo petitum: Ad opidum Gergouiam secundum flumen Elauer? Hiccine etiam dices subintelligi vocem aquam: vel affirmabis orationem esse figuratam?

Flumen Elauer tepidum Iader de fl. legimus apud Lucanum.

Resp. *Habeo aliud quod hîc respondeam, esse scilicet hunc fluuium masculini generis.*

Quæst. Qua ratione potest hoc ita fieri, hoc præsertim loco, cùm satis constet esse accusatiui casus per appositionem cum dictione flumen eiusdem casus?

Resp. *Vox est barbara, & indeclinabilis, vernaculum nomen illius gentis retinens.*

Quæst. Hoc tuum est commentum, Sequi-

tur

tur enim ſtatim in eodem loco: Ab altera Elaueris parte iter facere cœpit.

Reſp. *Habent tamen alia exemplaria: ab alia fluminis parte.*

Quæſt. Sed pro me facit, quòd Glareanus in ſuis ad hunc locum annotationibus integrè ferè hanc vocem inflectit. Reperies enim ibidem in Genitiuo Elaueris, in accuſatiuo Elauerem, in ablatiuo Elauere. Glareanus.

Reſp. *Licuit illi ita loqui, cum vox hæc à proprio idiomate paulùm deflexa, admittat facilè in obliquis tertiæ declinationis terminationes.*

Quæſt. Sentis igitur (vt quod pluribus eſt à nobis circa hoc nomen diſputatum, in pauca conferam) eſſe hanc vocem ſua origine barbaram, poſſe tamen non ineptè iuxta terminationes tertiæ inflexionis variari, atque ita eſſe, vt & alia fluuiorum nomina, maſculini generis. Reſponſio.

Reſp. *Ita prorſùs ſentio. Permitto tamen hanc meam ſententiam doctiorum iudicio, & cenſuræ.*

Quæſt. Pergamus iam ad propria virorum nomina (ſatisfacis enim mihi de fluuiorum nominibus), in quibus ego nonnulla reperio neutrius generis contra regulam. Obiectio de proprijs virorum nominibus.

Reſp. *Si huiuſmodi aliquod habes, recenſe. Ego enim non memini me legere.*

Quæſt. Apud Terentium eſt Dorcium, in Phormione. Sunt item apud alios Comicos Alij volunt eſſe nomen mulieris, & fortaſſe rectius.

cos alia, præsertim apud Plautum, vbi multa reperies virorum propria in (*um*).

Resp. *Non eo inficias esse Dorcium apud Terentium serui nomen, nec negabo posse & alia apud alios reperiri in* um, *seruorum nomina. Sed quis tibi dabit hæc nomina esse neutrius, & non masculini generis?*

Quæst. Hoc euincit ipsa ratio, quia multa sunt mulierum nomina in *um* neutrius generis, debere etiam virorum nomina in *um* esse eiusdem generis.

Resp. *Nego esse vlla propria mulierum nomina in* um *neutrius generis: Apud Terentium reperio inter alia, tria mulierum nomina in* um, *eaque semper fœminini generis, videlicet Glycerium, Philotium, Phanium; Multò autem plura passim occurrunt in Plauto: sed semper iunguntur cum adiectiuis fœmininis, nunquam autem cum adiectiuis* (*quòd memini*) *neutrius generis.*

Quæst. Vel erunt illa neutrius generis, vel falsa erit regula hæc, omnium (opinor) quæ in Grammatica extant, generalissima. Attamen ex cunctis, quæ diximus ante notandum, omne quod exit in *um* seu Græcum, siue Latinum, esse genus neutrum.

Regula Grammaticalis.

Resp. *Est illa regula probè intellecta maximè quidem generalis, ita vt nullam omninò admittat exceptionem, meo sanè iudicio. Loquitur autẽ de nominibus appellatiuis, non autẽ de nominibus propriis.*

Quæst.

Quæst. Videris aliquid dixisse, præsertim si loquamur de nominibus merè Latinis. Sed quid de Græcis est censendum, cuiusmodi sunt Glycerium, & Philotion & similia? Cuius sunt hæc apud Græcos declinationis?

Resp. *Sunt tertiæ declinationis simplicium.*

Quæst. Cum verò desinant apud Græcos in *on*, nonne satis constat esse neutrius generis? Duæ namque sunt terminationes finales nominatiui singularis in hac declinatione, nempè *os*, & *on*. Continet autem sub se terminatio *os*, masculina, fœminina, & communia: terminatio verò *on*, tantùm neutra.

Resp. *Est vnicuique linguæ sua quædam & peculiaris proprietas. Fieri potest, quòd hæc nomina, siue compositionis, siue derivationis respectu, in Græca lingua occupent locum Appellatiuorum, atq; hac ratione sint neutrius generis. Sed nihil hic statuo. Ego namque non sum Græcus. Mihi sufficit quòd hæc nomina muliebria sint apud Latinos fœminini generis iuxta regulam.*

Quæst. Si liberet tecum obstinatè contendere, possem ratione satis fortasse probabili, quod hoc loco respondes, conuellere. Sed objiciam pauca de vrbium, & oppidorum generibus, vbi te scio per omnia velle regulas Grammaticales tueri & defendere.

Resp. *Quod in me semel suscepi, illud æquum est, vt quacunque potero ratione tutarer.*

Obiectio de generibus vrbium, & oppidorum.

Quæst. Vrbium itaque, & oppidorum nomina statuis omnia esse fœminina, nonne?

Resp. *Non sic statuo. Aliter enim statuitur in Grammatica. Pauca namque excipiuntur masculini generis, pauca neutrius, vnum autem Auxur vtriusque generis est, masculini scilicet, & neutrius.*

Quæst. Exprimunturne omnia vrbium & oppidorum nomina in illa exceptiuncula, quæ sunt ab illa generali exceptione excipienda, ita vt omnia præterea, quæ illic non habentur dici possunt fœminini generis?

Resp. *Non ita existimandum esse sentio. Volunt enim alij Grammatici omnia nomina vrbium, & opidorum in* um *esse neutrius generis, quorum tamen ibidem nulla fit omninò mentio, vt Londinum, Eboracum, Brundusium, & similia. Sunt item masculini generis, Epidaurus, Samirus, & alia quædam apud authores passim obuia, vt & multa pluralia in* (i) *veluti Gabij, Philippi, Locri & quæ sunt eiusdem generis.*

Quæst. Sed illa ipsa quæ excipiuntur, suntne eiusdem generis, cuius in illa exceptione perhibentur esse?

Resp. *Ita sanè prorsus.*

Præneste.

Quæst. Prænestè igitur neutrius generis esse semper statuendum est?

Resp. *Sic docet Grammatica. Nec memini me legere alterius generis.*

Quæst.

Quæst. Imò docet alibi esse fœminini generis. Contraria igitur, vel saltem diuersa de re eádem docet, nec sibi ipsi satis constat.

Resp. *Vbi quæso docet Prænestе esse fœminini generis?*

Quæst. In illo loco, vbi hæc habentur verba: Prænestе sub ipsa.

Solutio. Resp. *Iam tandem memini vbi illud sit, nempe in figura Syntheſi; ſic itaque tibi ex eodem loco reſpondeo: non referri pronomen Ipſa ad dictionem Prænestе, quæ præceſſit, & cum qua non poteſt genere conuenire, ſed ad ſubſtantiuum vrbe, quæ ſubauditur. Eſt itaque hæc locutio figurata, quæ per Syntheſin excuſari ſolet.*

Argos. Obiectio. *Quæst.* Quomodo autem excuſas (quid enim tu non excuſare ſoles?) illud, quod mihi in hac quæſtione de ciuitate Argos obijciendum reſtat?

Resp. *Obijce demùm, vt ſic tandem, ſi non in promptu ſit, de excuſatione mihi præmeditari liceat.*

Quæst. Argos in illa exceptione traditur esse neutrius generis, alibi verò affirmatur esse maſculini generis.

Resp. *Hæc non pugnant. Poteſt enim vna & eadem dictio, & eſſe neutrius, & maſculini generis. Si docuiſſet verò Grammatica Argos eſſe ſolummodò neutrius generis, poſtea autem alibi affirmaſſet eſſe maſculini generis, alia res eſſet.*

Quæst. Ita prorſus docet alibi nec te latere

possunt hæc illus verba: Masculadumtaxat cœlos vocitabis, & Argos. Qua ratione itaq; hîc affirmat esse neutrius generis?

Resp. *Me non latent tuæ nugæ, tui doli, tuæ impostura, & fallaciæ. Totus, quantus quantus es, ex astutijs & fraudibus es compositus.*

Quæst. Nesæui tantoperè. Mitte, quæso, verba, & responde.

Solutio. Resp. *Detorques illa verba ad tuum propositum confirmandum. In priore enim exceptione loquitur regula de Argos in numero singulari, quod est neutrius generis. In altera verò, quam tu postremò adduxisti, fit sermo de Argis, quod in plurali numero tantùm est masculini generis.*

Quæst. Non habet hoc vocabulum (Argi) singularem numerum, non potest ergo esse neutrius generis in numero singulari, quem non habet.

Resp. *Quo pacto probabis dictionem Argos non habere singularem numerum?*

Regula Grammaticalis. *Quæst.* Probabit pro me Grammatica in regulis constructionis, vbi sic scriptum reperio. Verùm si proprium loci nomen pluralis duntaxat numeri, aut tertiæ declinationis fuerit, in datiuo, aut ablatiuo ponitur, adijcitque exempli loco: Colchus, an Assyrius, Thebis nutritus, an Argis? Audis ergo Argos pluralis duntaxat esse numeri.

Responsio Resp. *Est re vera (Argi) pluralis duntaxat numeri,*

numeri, cuius numerum singularem non reperio. Argos enim neutrum, in numero singulari quod habemus, est origine Græcum, nec puto facilè reperiri nisi in hac voce solùm in hoc numero.

Quæst. Satis est de propriorum nominum regulis huc vsq; disputatum. Pergant alij contra nominum appellatiuorum, siue communium regulas, si velint, obijcere.

DISPVTATIO DE NOMINIBVS appellatiuis, siue communibus.

QVAESTIO.

An nihil contineant in se falsitatis, quæ traduntur de generibus nominum appellatiuorum, siue communium, regula? 13

Quæst. Non ego is sum (Auditores optimi) qui longa aliqua, & polita oratione aures vestras demulcere potero, cum tenuis sit & ieiuna mea in dicendo facultas; resque ipsa potius postulare videtur, vt concisis & strictis interrogationum, & responsionum vicissitudinibus inter nos mutuò concertemus, quàm vt verbis phaleratis, longisque perorandi ambagibus tempus conteramus. Vt igitur, qui ante me postremus acriter, & vehementer disputauit, propriorum nominum regulas Grammaticales oppugnauit, Præfatiuncula

pugnauit, quas contra fortiter est tutatus qui respondendi vices sustinuit: ita & nobis hoc idem est duobus, hac hora, & loco, vobis videntibus & audientibus, strenuè præstandum in illis Grammatices præceptionibus, quæ traduntur de generibus nominum appellatiuorum, siue communium. Sed cum sit amplissimus in hac quæstione disputandi campus, ego rem in pauca contraham, & præcipua quædam capita solummodò attingam, de quibus, quæ tua sit sententia (condiscipule suauissime), rogo vt mihi non grauatim exponere digneris.

Resp.. *Interroga quæ volueris, me nec tardum, nec mutum in respondendo inuenies.*

Quæst. Prima regula generalis de cognoscendis nominum appellatiuorum, siue communium generibus, de cuiusmodi nominibus traditur?

Resp. *De nominibus parisyllabicis, siue non crescentibus genitiuo, hoc est, quorum genitiuus sit par nominatiuo syllabis; vel de nominibus, quorum genitiuus tot habet syllabas, quàm nominatiuus, quæ regulariter erunt omnia fœminini generis.*

Obiectio. *Quæst.* Sed huiusmodi nomina sunt omnia primæ & quartæ declinationis: nonnulla item secundæ, & nonnulla tertiæ. Erunt ergo hæc omnia secundum tuam sententiam fœminini generis.

Resp. *Erunt fauè regulariter. Verùm admit-*

tit

tit hæc regula multas exceptiones, quemadmodum nulla ferè ita eſt generalis, cui non hoc idem accidat. Solutio.

Quæſt. Nihil tu quidem apertè, & ſimpliciter reſpondes: ſed omnia ſubdolè eludis, vel per figuras, vel per neſcio quas exceptiones, & diſtinctiones.

Reſp. *Ego quidem omnia ago apertè, & ſimpliciter, nihil eludo; ſed ita excipio, & diſtinguo, vt me vel docuit Grammatica, vel me cogunt tua ſophiſmata.*

Quæſt. De exceptionibus tuis poſteà videbimus, iam de eo acturi, quod modo affirmabas, nempe primam regulam de cognoſcendis nominum appellatiuorum, ſiue communium generibus, tradi de dictionibus non creſcentibus genitiuo.

Reſp. *Habesne quod iure reprehendas in hac reſponſione?*

Quæſt. Multa, at hoc in primis, quòd hæ dictiones Reſpublica, & Iuſiurandum referantur ad hanc regulam, cum tamen ſatis conſtet eaſdem creſcere in genitiuo; ſi modò creſcere in genitiuo, ſit habere plures ſyllabas in genitiuo, quàm in nominatiuo. Inſtantia de dictionibus Reſpublica & inſiurandum.

Reſp. *Non ſunt hæ dictiones ſimplices, ſed compoſitæ.* Solutio.

Quæſt. Quid hoc ad propoſitum? Quaſi verò non pertineant ad hanc regulam dictiones

compositæ, cuiusmodi sunt, graiugena, agricola, incola, accola, aduena, & non pauca similia.

Resp. *Esto. Non sunt tamen huiusmodi composita, qualia sunt hæc duo, hoc est, à nomine substantiuo, & adiectiuo integrè, quod in omnibus casibus, genere, numero & casu cum eisdem conuenire possit; nisi quod longus temporis usus, & recepta loquendi consuetudo eadem pro simplicibus vsurpasset.*

Quæst. Nihil agris sic distinguendo. Vno enim verbo hanc tibi respondendi in hoc argumēto viam facilè præcludam. Satis enim liquet manifestò, omnia nomina ad hanc regulam pertinentia, crescere in genitiuo, vt exempli gratiâ, musarum à musa, mensarum à mensa, atque adeò in illis ipsis vocabulis, quæ exempli loco in hac regula proponuntur, veluti carnium à caro, caprarum à capra, nubium à nubes.

Obiectio.

Resp. *Quid tu profeceris sic cauillando, esto penes alios iudicium. Intelligitur enim regula de genitiuo singulari, tu verò sophisticè agis de genitiuo plurali.*

Solutio.

Quæst. Multa tamen sunt nomina ad hanc regulam spectantia, quæ carent omnino numero singulari.

Obiectio.

Resp. *Sunt illa vel heteroclita, quorum genus ex heteroclitorum regulis cognosci possit: vel in illis fingendus est numerus singularis, à quo analogicè*

Solutio.

logicè siue regulariter deducantur.

Quæst. Non ita adhuc te dimittam, vt vt dextrè satis respondere videaris. Sunt namque & simplicia, & singularia sub hac regula contenta, & comprehensa, quorum genitiuus singularis crescit, siue superat nominatiuum singularem syllabarum numero. Alia obiectio.

Resp. *Non noui huiusmodi nomina. Tu, si memineris, subijce mihi in memoriam.*

Quæst. Omnia quæ curant (inquit ille) senes meminerunt. Tu verò puer hæc non curas, quæ contra te faciunt.

Resp. *Tum dicas contra me facere, cùm ad illa à te prolata respondere nequeo. Recense igitur.*

Quæst. Aquaï, aulaï, aurai, terraï, frugiferaï, pictaï, & pleraque alia. Aquai, &c.

Resp. *Hæc sunt prisca & obsoleta, nullóque hodiè in vsu.* Solutio.

Quæst. Crescunt tamen in genitiuo. Non itaque videntur posse referri ad primam regulam.

Resp. *Non satis est hoc, nisi crescerent etiam in reliquis obliquis. Nec crescunt simpliciter, sed ex resolutione diphthongi in suas vocales per diæresin.*

Quæst. Nolo te arctiùs premere, sed veniam iam ad illa ipsa exempla, quæ in Grammatica ponuntur in prima regula generali de non crescentibus genitiuo, affirmantúrque esse fœminini Hæc ad hunc asteriscum * iam addunt-tur.

nini generis, scilicet capra, capræ; nubes, nubis; quæ tamen ego reperio masculini generis.

Capra masculini generis.

Resp. *Si tibi hæc affirmanti vis fidem adhiberi, proba, quod dicis, exemplo ex probato aliquo authore adducto.*

Quæst. Quod primùm proposui, primùm etiam confirmabo Plauti authoritate, qui sic loquitur in Mercatore, actu secundo, scæna prima: Mercari mihi visus sum formosam capram, ei ne noceret, quam domi ante habui capram, neu discordarent, si ambo in vno essent loco.

Resp. *Quid hîc reprehendis?*

Quæst. Dico hinc apertè colligi posse contra regulam, esse hanc vocem capram masculini generis.

Resp. *An quia dicit formosam capram?*

Quæst. Derides? Imò quia de duabus loquens, inquit, Si ambo in vno essent loco.

Resp. *Iam intelligo, vis nempe capram esse masculini generis, quia adiectiuum (ambo) affirmatur de vtrisq; illis, de emptitia inquam, & de illa quam domi habebat ante.*

Quæst. Rectè coniectas.

Resp. *Idem hîc respondeo, quod priùs in disputatione de terminationibus casualibus in tertia declinatione, vbi hanc adduxeras ex Plauti Amphitruone sententiam: Puer ambo anguis enecat. Fuére enim apud veteres, ambo, & duo, communis generis.*

Solutio.

Quæst.

Quæst. Mane dum. Est enim amplius aliquid quod in hac sententia iuniores, & minùs cautos turbare queat, quibus cupio modis omnibus esse satisfactum.

Resp. *Quid illud est tandem?*

Quæst. Nempe quod in altera huius sententiæ parte accusatiuus capram præcedit verbum (noceret).

Resp. *Fit hoc per Antiptôsin, quod loquendi genus apud Plautum est frequentissimum, eoq; diligentius à pueris obseruandum.*

Quæst. Audiamus iam tandem quid pro dictione (nubes) respondere possis, quam Plautus etiam protulit genere masculino, terminatione verò in *is*, in recto singulari, in paulò superiùs citata Comœdia, actu quinto, scena prima, his verbis: Nubis ater, imberque instat. Nubes genere masculino.

Resp. *Si tam facilè de genere, quàm de terminatione respondere possim, salua res esset. Quoad terminationem enim vox nubes est ad illud nomium heteroclitorum genus referendum, quæ sub diuersa terminatione idem genus retinent, vt apes, & apis, multaque similia.*

Quæst. Illud mihi non displicet de terminatione: de genere autem quid ais?

Resp. *Locus est manifestior, quàm vt negari possit. Quid si autem respondeirm locum dupliciter esse corruptum: scilicet primò vt sit ater pro atra: deinde inuersum esse verborum ordinem: nubis ater,* Solutio. Plantina editio legit nubis ater.

ater, imberque instat : pro ater imber, nubisque instat.

Quæst. Probabilis profectò esset hæc coniectura, nisi repugnaret omnium editionum fides, in quibus vno consensu sic scriptum reperimus.

Resp. *Destituor hîc omnium lexicorum ope, quæ vnanimiter affirmant hanc vocem esse fœminini generis. Est igitur respondendum, vel esse hoc loco figuram Synthesin: vel suo & peculiari more Plautum pro libertate veteribus concessa, protulisse vocem nubes genere masculino, quod nunquam alibi memini me legere.*

Alia Obiectio.

Quæst. Iam veniam ad illam ab hac prima regula exceptionem, quæ inter reliquas videtur maximè generalis, de nominibus Latinis factis à prima declinatione Græcorum in *as*, vel in *es*, cuiusmodi omnia, quotquot tandem fuerint, asserit illa exceptio, sine exceptione esse masculini generis.

Resp. *Hiccine quoq; conaberis nodum in scirpa quærere?*

Quæst. An lateat in hac exceptione nodus aliquis, nec ne, mox fortassis audies. Nam charta, margarita, cataracta, catapulta, cochlea, gausapa, à Græcis primæ declinationis in *as*, vel *es* deriuantur, & tamen sunt fœminini generis. Quem habes ad hunc nodum protrudendum cuneum?

Resp.

Resp. *Malo nodo malus quærendus est cuneus, iuxta prouerbium. Sed quod tu hoc loco obijcis, ego propulsabo facilè. Hìc ergo pro me facit tritum illud & vulgatum responsum, posse quidem vel generalissimam regulam, aliquam admittere exceptionem. Tenet igitur illa regula in plerisque, sed non in omnibus; in quorum numero sunt hæc pauncula, à te modò recitata, quæ quidem (mea sententia, & opinione) sunt omnia, quæ contra hanc regulam, siue exceptiunculam produci possunt,* Solutio.

Quæst. Vt vt non possint plura proferri contra hanc exceptionem, possunt tamẽ multa adduci contra reliquas ab hac regula exceptiones, quæ studiosis inter legendum obseruanda relinquo. Volo tamen vnum adhuc atque alterum exemplum adferre contra subexceptiunculas ab hac prima regula generali, præcipuè verò de neutro, & communi genere. Sequentia ad hunc asteriscum * iam primùm adduntur.

Resp. *Quò tu plura protuleris, eò instructiorem efficies pubem scholasticam, ad huiusmodi tela euitanda. Sed cuius (quæso) sortis sunt, quæ in medium proferes?*

Quæst. Inter non crescentia in genitiuo, quæ regulariter debent esse fœminini generis, excipiuntur neutra quædam in *e*, in quibus est dictio rete, quam lego apud Plautum in genere masculino. Retis.

Resp. *In qua Comœdia?*

Quæst. In Rudente, Actu quarto, Scæna tertia,

Solutio. tertia, hiſce verbis: Vbi demiſi retem, atque hamum.

Reſp. *Eſt & hæc dictio inter heteroclita redundantia. Eſt enim & rete & retis.*

Perduellis ſecundæ declinationis. *Quæſt.* In illis quæ referuntur ad genus commune, eſt quod reprehendam in voce (perduellis), non quidem quoad genus, fateor enim eſſe communis generis, ſed quoad declinationem.

Reſp. *Eſt perduellis tertiæ declinationis.*

Quæſt. Aliud docent hæc Plauti verba in Milite glorioſo, Actu ſecundo, Scæna ſecunda: Curre in obſidium perduellis, noſtris præſidium para. Vides perduellis eſſe hîc ſecundæ declinationis.

Reſp. *Quid ni poſſit eſſe genitiuus ſingularis tertiæ declinationis?*

Quæſt. Imò loquitur de pluribus, ideòque neceſſe eſt vt ſit datiuus pluralis,

Solutio. Reſp. *Si ita eſſe contendis, puto olim fuiſſe in vſu & perduellus, & perduellis, quanquàm non ſic inueuio apud vllos (quod ſciam) Lexiographos.*

Contra ſecundam regulam generalem. *Quæſt.* Paucaiam obijciam contra regulam ſecundam generalem de cognoſcendis nominum appellatiuorum, ſiue communium generibus.

Reſp. *Docet illa regula nomina creſcentia, & acuentia penulimam genitiui ſingularis eſſe fœminini generis.*

Quæſt.

Quæſt. An non putas hoc nomen dos dotis, eſſe huiuſmodi ? Dos, genere maſculino.

Reſp. *Vel maximè.*

Quæſt. Eſt tamen maſculini generis.

Reſp. *Vbi tandem ?*

Quæſt. Apud Plautum in Menæchmis. Sic autem loquitur ibidem : Iſta, hæc ſolent : quæ viros ſibi ſubſeruire poſtulant: dote fretæ fero.

Reſp. *Hunc locum depranatum eſſe ſuſpicor:* Solutio. *vel enim ita eſt legendum ; Dote fretæ ferè, hoc ſcilicet ſenſu; mulieres, quæ dote magna & ampla viros cumulant, eæ ferè, hoc eſt, plerumque, viros ſibi ſubſeruire poſtulant: Sed hæc mea eſt tantùm coniectura. Vel hoc modo ſcribi debuit: dote fretæ fera. Vtramque verò coniecturam doctiorum cenſuræ ſubijcio. Nam ſi, dote fretæ fero, ſcribatur in omnibus exemplaribus, neceſſe eſt, vt ſit Enallage generis, maſculini ſcilicet, pro fœminino,* Enallage.

Quæſt. Eſt ſanè vtraq; hæc coniectura probabilis. Sed alius adhuc in hac ſententia latet nodus (& ſunt multæ huiuſmodi locutiones apud Plautum) tibi in puerorum gratiam explicandus,& diſſoluendus. Alius nodus.

Reſp. *Quid præterea in hac ſententia hæret dubij ?*

Quæſt. Loquitur de fœminis neutro genere. Iſta hæc (pro hæ) ſolent.

Reſp. *Familiaris eſt hic loquendi modus, præ-* Solutio. *ſertim apud veteres Comœdiographos, vt de fœminis*

nis loquentes, hæc vel hæ, dicant, Exemplorum multitudine supersedeo, quia vbiq; sunt obuia, puerisq; sedulò obseruanda.

Quæst. Secunda hæc regula generalis (vt & aliæ ferè omnes) multas admittit exceptiones, in quibus Grex dictio traditur esse masculini generis.

Resp. *Nec immeritò. Hoc enim genere vsurpatur apud omnes probatos authores.*

Quæst. Non videris omnes probatos authores ea, qua debes, diligentia percurrisse. Lucretius enim hanc dictionem vsurpauit genere fœminino.

Obiectio de nomine (grex).

Resp. *Profer locum.*

Quæst. Libro de rerum natura secundo: Buceriæque greges sub eodem tegmine cœli.

Resp. *Pleni sunt huius authoris libri obsoletis huiusmodi locutionibus, quas velim studiosi obseruent potius inter legendum, quàm vt vel loquendo, vel scribendo imitentur.*

Solutio.

Quæst. Paulò inferius post exceptionem de vocabulo grex, & nonnullis alijs monosyllabis docetur, esse terminantia in *er*, vt crater, masculini generis: inuenio tamen sæpius in Plauti Menæchmis dictionem (spinter) in neutro genere.

Spinter.

Resp. *Ex multis illis locis recita vel vnum duntaxat, & sufficiet.*

Quæst. Scin' quod hoc sit spinter?

Resp.

Resp. *Non pertinet hæc vox ad hanc secundam regulam generalem, quia grauat penultimam genitiui crescentis, ideoq; pertinet ad tertiam regulam generalem.*

Quæst. Est tamen σπινθὴρ, σπινθήρος apud Græcos.

Resp. *Sed repugnat & genus, & significatio. Est enim fœminini generis, & alterius significationis.*

Quæst. Si demus, disputandi gratia, pertinere hanc vocem (spinter) ad tertiam regulam de grauantibus penultimam genitiui crescentis, erit tunc masculini, non autem neutrius generis.

Resp. *Imò refertur potius ad exceptionem de neutralibus : Est neutrale genus, signans rem non animatam, &c.* Solutio.

Quæst. Non est vox (spinter) inter illa in *er*, quæ ibi perhibentur esse neutrius generis.

Resp. *Non recitantur illic omnia in* er *neutrius generis ; quæ omittuntur verò, illa relinquuntur studiosis in bonorum authorum lectione notanda.*

Quæst. Iter alia plura, quæ adhuc produci poterant contra hanc secundam regulam, restat vnicum hoc de dictione (mulier), de qua hoc tantum quæro, nempe cuius sit generis, & quare? Mulier.

Resp. *Mulier est fœminini generis (quod omnes norunt) sed cur ita sit, hoc est, per quam regu-*

lam Grammaticalem, ego sanè non facilè dixerim.

Quæst. Per hanc regulam: Sunt muliebre genus Syren, mulier, soror, vxor.

Resp. *Ego tamen puto non rectè collocari sub hac classe acuentium penultimam genitiui crescentis, cùm potius eandem grauet.*

Quæst. Nunquam audiuisti tritos hos versiculos? Igni quid leuius? Fulmen: quid fulmine? ventus: Vento quid? mulier: quid muliere? nihil.

Resp. *Audiui quidem sæpiùs. Non sunt autem tantæ apud me, vel vetustatis, vel authoritatis, vt mihi sufficiant ad penultimam huius vocabuli in genitiuo producendam. Scio enim omnia in* er *huius regulæ esse ferè Græca, & producere penultimam genitiui crescentis.*

Mulier melius ad tertiam regulam refertur.

Quæst. Referatur ergo ad tertiam regulam appellatiuorum, siue communium, grauantium antepenultimam genitiui crescentis, & adijciantur in fine illius exceptionis: Fœminei generis sit hyperdisyllabon in *do*, post bacchar, syndon, gorgon, icon, & Amazon, in hac, vel simili aliqua additione: & mulier. Namq; hac meliùs sub classe locatur.

Resp. *Hoc certè mihi perplacet. Sed nostrum non est de hisce rebus statuere.*

Quæst. Nihil statuimus, sed exponimus tantùm quid nobis videatur meliùs. Fruatur tamen quisque suo iudicio. Ego autem, ad me quod

quod attinet, mallem cum paucis rectè sentire, quàm cum alijs innumeris corruptè loqui. Sed iam deinceps ad finem huius disputationis placet experiri, quam dextrè possis ad illa respondere, quæ contra tertiam regulam de cognoscendis nominum appellatiuorum, siue communium generibus in medium producam.

Quę sequuntur ad hunc asteriscum* in tertia editione addebantur.

Resp. *Habes. & hîc quoque quod tibi minùs placeat?*

Quæst. Atque hoc in primis, quod in neutralium exceptione pecten dicatur esse masculini generis.

Resp. *Cur verò ob hoc Grammaticæ nostræ tantoperè succenses?*

Quæst. Quia neutrius generis esse contendo.

Resp. *Qua ratione motus?*

Quæst. Plauti authoritate, qui hanc vocem genere neutro vsurpauit in Curculione, actu quarto, scæna quarta: At ita me, volsellæ, pecten, speculum, calamistrum meum bene amassint.

Pecten genere neutro.

Resp. *Ridiculum est te velle hinc concludere pecten esse neutrius generis, quia pronomen meum sit eiusdem generis. Refertur enim ad postremum substantiuum calamistrum, cum quo expresse conuenit: ad volsellæ verò & pecten per supplementum, videlicet hoc modo, volsellæ meæ, pecten meus.*

Solutio.

Quæst. Si hæc non adduxissem tui potiùs

tentandi gratiâ, quàm quòd reuerâ ſentiam pecten eſſe neutrius generis, non ita te dimitterem, cùm alius inſit in hac ſententia ſcrupulus, quem contra te vrgere queam: ſed pergam ad alia. Dic igitur quomodo pertineat nomen Iter ad hanc exceptionem de neutralibus.

Iter. Reſp. *Cur non rectè referatur ad hanc exceptionem?*

Quæſt. Quia faceret in genitiuo ſingulari iteris, non autem itineris. Creſcentia enim in genitiuo, vnicâ tantùm ſyllabâ debent ſuperare nominatiuum ſingularem, non autem pluribus.

Solutio. Reſp. *Eſt genitiuus itineris ab antiquo itiner, quod iam exoleuit; non autem ab iter, quod receptiore iam eſt in vſu.*

Pecus. *Quæſt.* Pecus, quod vltimum eſt in hac neutralium exceptione nomẽ, in fœminino genere reperitur apud Ouidium in cantione Polyphemi ad ſuam Galateam: Hoc pecus omne meum eſt, multæ ſtabulantur in antris.

Solutio. Reſp. *Apage ſis cum odioſa hac tua nugatione, Conuenit enim adiectiuum (multæ) non cum pecora, ſed cum pecudes, à pecus, pecudis fœminini generis, quod nomen in hoc carmine ſubauditur.*

Quæſt. Obſeruent ergo pueri eſſe & pecus, pecudis, fœminini generis; & pecus, pecoris, neutrius generis, atque etiam apud priſcos pecu, neutrum inuariabile.

Reſp. *Eſt hoc vtique notatu dignum, illud præcipuè,*

cipuè, quod postremò adiecisti, de voce pecu, quæ nunc dierum vsus est rarissimi, imò verò nullius prorsus.

Quæst. Vt tandem huic disputationi finem imponam: in exceptione ab hac tertia regula generali, quæ postremo loco additur de quibusdam dictionibus, quæ dicuntur esse communis generis, non rectè videntur mihi collocari nemo, & homo. Nemo, & homo.

Resp. *Quid? An non censenda sunt ita esse, cùm certo certius sit, dici sæpius hæc vocabula tam de mare, quàm de fœmina? Terentius namque in Andria, alicubi sic scribit: Scio neminem periisse hîc.*

Quæst. Rectè tu quidem hoc de vocabulo nemo obseruasti. Hinc tamen non sequitur hanc vocem vnquam reperiri coniunctam cum adiectiuo fœminini generis.

Resp. *Ego tamen legi dictionem homo iunctam cum adiectiuo fœminino apud Ciceronem in epistola Sulpicij, qua illum consolatur de morte filiolæ, vbi scribit in hunc modum: Quæ, si iam diem suum non obijsset, paulò post tamen ei moriendum fuit, quia homo nata erat.* Sulpicius ad Ciceronem.

Quæst. Probat hic locus vocabulum homo dici de muliere. Non probat tamen esse fœminini generis. Participium enim (nata) non conuenit genere cum substantiuo (homo) sed cum Tullia subaudita, hoc modo: Moriendum

dum ei fuit, quia ea (scilicet Tullia) nata erat homo. Ego igitur cum illis sentio, qui hæc duo vocabula (nemo, & homo) contendunt tantùm esse masculini generis, in quibus est & Phocas, Grammaticus doctissimus.

Phocas.

Resp. *Sit & hic quoque cuique liberum, quod sibi maximè arriserit, sequi, & amplecti. Tibi verò multis nominibus sunt deuincti probi scholastici, qui hæc tam sedulò, & magno cum labore ad illorum vsum, & emolumentum collegeris.*

Noua est hæc integra disputatio.

DISPVTATIO DE HISCE ADiectiuis, *Vnus, totus, solus, vllus*, & reliquis.

QVAESTIO.

14 *An hæc adiectiua faciant genitiuum singularem in* ius, *datiuum in* i, *vt docet Grammatica?*

Præfatiuncula.

Quæst. Satis multa in his, quæ hactenus inter nos disputata sunt, sese obtulêre inter discertandum de rebus Grammaticalibus, quibus instructi & præmuniti scholarum triuialium alumni (his enim præcipuè nauatur hæc opera), sese facilè contra omnium aduersariorum tela tutari possunt, quæ in hoc genere, ad labefactandam regularum Grammaticalium fidem adferri solent. Sed quia multa restant de hisce adiectiuis

adiectiuis dicenda, quæ à communi adiectiuorum trium terminationum inflexione recedunt, quibus, qui litigiosi sunt cauillatores, imperitiorum ingenia turbare facilè possint; volumus & illa quoque discutere & examinare, vt in hac etiam parte nihil ferè relinquatur, quod industriis adolescentibus aliquid molestiæ exhibere queat. Dic igitur ingenuè & liberè quod tuum sit iudicium de horum adiectiuorum inflectione, vnus, totus, solus, alius, nullus, alter, vter, neuter, illorumq; compositis.

Resp. *In plurali quidem numero conueniunt per omnia quoad inflectendi rationem, cum adiectiuis trium terminationum: in singulari verò numero variant. Faciunt enim genitiuum in* ius, *datiuum in* i, *ad morem secundæ declinationis pronominum.*

Quæst. Quàm mox in ipso responsionis tuæ initio laberis & impingis.

Resp. *Videor mihi tamen satis firmiter stare, & consistere.*

Quæst. Vide quàm tibi probè constes. Quomodo enim inflectuntur hæc omnia in numero plurali in omnibus casibus, sicut adiectiua trium terminationum; cum illa omnes casus habent integros in numero plurali, quinque verò ex istis, nempe vllus, alius, vter, & cætera carent vocatiuo in vtroque numero? Instantia.

Resp. *Hoc tuum aliquid reuera nihil est. Cum* enim Solutio.

enim quatenus ad inflectendi rationem quinque illa habeant nominatiuum pluralem per omnia similem nominatiuis pluralibus adiectiuorum trium terminationum, ratio ipsa euincit talem debere esse vocatiuum, si modò eundem casum admitterent; cuius defectus non debet inflectendi modo, sed loquendi & scribendi consuetudini imputari & ascribi.

Obiectio de adiectiuo vnus.

Quæst. Adiectiuum (vnus), quod primum est in illorum adiectiuorum à communi forma rebellantium numero, facit genitiuum singularem masculini generis in *i* contra regulam. Falsum igitur est quod affirmat Grammatica.

Resp. *Doce hoc aliquo exemplo, si fidem tuis verbis apud me haberi cupias.*

Plautus.

Quæst. In Plauti Sticho, actu quarto, scæn. sexta hæc leguntur: Ego, tu sum: tu, es ego: vni animi sumus. Vbi vides adiectiuum vnus conuenire cum substantiuo animi, qui est genitiui singularis, terminatur itaque in *i*, iuxta formam ordinariam adiectiuorum trium terminationum, non autem in *ius*, iuxta regulam de hisce adiectiuis traditam.

Resp. *Quid si dixero esse substantiuum animi pluralis numeri, & nominatiui casus? quod si admiseris, tunc nihil obstat, quò minus adiectiuum vnus retineat communem inflectendi formam.*

Quæst. Sed est nullo modo hoc admittendum. Docet enim Grammatica adiectiuum vnus non habere numerum pluralem, nisi cum

iungatur

iungatur cum ſubſtantiuo carente numero ſingulari.

Reſp. *Hanc ego regulam ex ſecundo Æneidum Virgilij monſtrabo eſſe falſam. Sic enim ille ibidem: Satis vna ſupérque vidimus excidia. Similia quoque ſemel atque iterum legi apud Plautum, ſed iam non occurrunt loci. Inuenies autem fortaſſis vnum atque alterum exemplum in indice difficiliorum locutionum, quem (ſi Deus voluerit) ad calcem harum diſputationum ſatis amplum & locupletem adijciemus.*

Quæſt. Solent poëtæ frequentiùs metri gratiâ pluralem numerum pro ſingulari vſurpare. Sed quid ad Plauti locum reſpondes? Solutio.

Reſp. *Dico non eſſe hîc legendum vni animi diuiſis & diſtinctis vocabulis, ſed vnica dictione vnanimi, vt ſit hoc loco vnanimi non ſubſtantiuum, ſed adiectiuum, & conuenire cum ſubſtantiuo nos ſubaudito, quod eſt nominatiuus præcedens verbum perſonale ſumus.* Reſponſio ad Plauti locum.

Quæſt. Oſtendam tamen hæc nomina adiectiua ferè omnia regulariter variari ſecundum formam adiectiuorum trium terminationum. Vnus, alter, ſolus nullus, &c. Olim variata ſecundum formam adiectiuorum trium terminationum.

Reſp. *Hoc ſi mihi demonſtraueris, eris mihi magnus Apollo.*

Quæſt. Ex multis igitur hæc pauca diligentiùs conſiderato, tecúmque apud animum perpendito. Cedo te mihi ſolæ ſolum. Ex Plauti Milite glorioſo, actu quarto, ſcæna ſecunda.

In

In Plauti Truculento, actu ſecundo, ſcæna ſecunda: Quaſi verò corpori reliqueris tuo poteſtatem coloris vlli capiendi. Ex Plauti Truculento, actu primo, ſcæna prima: Sin alter alteri potitus eſt, itidem perit. Ex Andria Terentij, actu tertio, ſcæna quinta: Confiteor iure obtigiſſe: quandoquidem tam iners, tam nulli conſilij ſum. Sed quid opus eſt vt plura recitem teſtimonia, cum hæc ſatis ſupérque ſufficiant, ad illud, quod inſtitui probandum, nempe ſolere hæc adiectiua aliquando ad formam adiectiuorum trium terminationum variari?

Soluio. Reſp. *Sunt hæc ſatis manifeſta, & aperta, quibus contradicere non poſſum, facítque exemplorum multitudo à te modò adducta, vt credam poſſe & alia multa huiuſmodi apud priſcos obſeruari. Concedo igitur ſic ſolere aliquando veteres hæc & ſimilia variare. Nobis tamen hodiè recepta loquendi & ſcribendi conſuetudo eſt retinenda, id quod ſæpius antè monui in ſimilibus priſcorum locutionibus. Quod enim illis tunc licuit, nobis nunc dierum non licet.*

Quæſt. Sed vt magis confirmentur tenella puerorum ingenia in huius rei veritate, non pigebit huc aſcribere, quæ Priſcianus, Grammaticorum facilè Princeps, libro ſexto de hac huiuſmodi adiectiuorum inflexione tradit, his verbis: Vetuſtiſſimi ſolebant (inquit) omnium genitiuum in *ium* terminantium, & in *i* datiuum,

Priſcianus.

&

& etiam in *i* genitiuum, & in *o* datiuum in genere maſculino,& in neutro,in fœminino verò ſecundum primam declinationem in *æ* diphthongum proferre.

Reſp. *Grata erit pueris ſtudioſioribus hæc Priſciani obſeruatio, ſiue annotatio, cuius nomen, quàm libros illis magis notum & familiare eſſe arbitror. Sed hæc de hiſce adiectiuis monuiſſe ſufficiat.*

DISPVTATIO DE HETEROCLITIS.

Caruere priores editiones hac quoque diſputatione.

QVAESTIO.

An heteroclitorum regulæ nihil contineant, quod meritò reprehendi poſſit? 15

Præfatiuncula.

Quæſt. Heteroclita, ſiue anomala (quod & nomen ipſum ſatis aperte demonſtrat)nomina ſunt,quæ ſub aliorum nominum regulare inflectendi modum & rationem cogi non poſſunt;ſuntq; in illorum numero non pauca, quæ in ſeſe multùm difficultatis contineant,reiq; literariæ tyronibus multum moleſtiæ præbere poſſunt. Volumus igitur(ſi vacat)de hiſce quoque inter nos, quanta fieri poteſt breuitate pro more ſcholarum digladiari;vt & hîc quoq; per mutuas interrogandi & reſpondendi vices profligata omni Sophiſticarum nebularum caligine,

ne,& obſcuritate,illorum quæ de his in Grammatica noſtra traduntur, clarius illuceſcat veritas.

Reſp. *Quò plus obſcuritatis & difficultatis in ſeſe contineant hæc nomina, eò ſtudioſius eſt enitendum, vt omnia quæ contra regulas de eiſdem traditas adferri ſolent argumenta (quoad fieri poteſt) enucleentur, & diſſoluantur. Propone igitur, quæ tibi in hac cauſa præcipuè videbuntur obijcienda, in quibus nihil dubito, quin tibi facilè ſatisfaciam.*

Obiectio contrà primam regulam.

Quæſt. Ab ipſa prima regula exordiar, in qua hoc primùm reprehendo, quòd doceat Grammatica, heteroclita ad hanc regulam pertinẽtia eſſe tantùm in ſingulari numero fœminini generis : in plurali verò neutrius.

Reſp. *Hoc (tantùm) de tua eſt additione. Nihil enim tale in Grammaticæ regula exprimitur.*

Quæſt. Conſtat tamen hanc eſſe mentem & ſenſum huius regulæ. Fruſtrà enim alioquin traderetur.

Reſp. *Non contendam tecum de hac re pertinaciùs, ſed quid hinc colligis?*

Pergamus.

Quæſt. Non recte referri vocem Pergamum ad hanc regulam.

Reſp. *Expecto rationem.*

Quæſt. Quia cum ſit vrbis nomen proprium, non habet pluralem numerum, & conſtet præterea eſſe in numero ſingulari neutrius generis.

Reſp.

Resp. *Vtrumque hoc restat tibi probandum. Non enim sufficit hoc nudè affirmâsse,*

Quæst. Quòd non habeat numerum pluralem docet hæc regula: Propria cuncta notes, quibus est natura coercens, Plurima ne fuerint.

Resp. *Tibi in hac parte pro me respondebit ipsa Grammatica, quæ in calce huius regulæ hæc habet: In quibus, authorum quæ sunt placita, ipse requiras: Est vbi pluralem retinent hæc, est vbi spernunt.* Solutio de numero.

Quæst. De numero hæc mihi satisfaciunt: de genere verò quid respondes? Sic enim in opusculo, quod in calce Æneidum adijcitur, scriptum alicubi reperio: Miramur Troiæ cineres, & flebile victis Pergamon, extinctósque suos Phrygas.

Resp. *Hæc contra me nihil faciunt. Non probant enim vocem Pergamus esse neutrius generis, sed Græcum Pergamon. Omnia enim tertiæ inflectionis simplicium in* on *apud Græcos, sunt neutrius generis.* Solutio de genere.

Quæst. In hac tua responsione acquiesco. Pergo autem ad regulam de aptôtis, vbi velim, vt primò de ipso nomine respondeas, quæ scilicet heteroclita aptôta iure dicantur. Obiectio de aptôtis, Pergamum terminatione Latina, & neutrius generis reperitur apud Plautum.

Resp. *Quæ omnes quidem casus habent sub vna terminatione, sed nullam terminationum varietatem in hisce casibus admittunt.*

Quæst.

Quæst. Non rectè igitur ad hanc regulam referuntur cornu, genu, & alia plurima in *u*, cum satis appareat habere hæc & similia casuum varias terminationes, vt cornuum, cornubus; genuum, genibus, & ita de reliquis.

Solutio. Resp. *Intelligenda est regula de numero singulari, non autem de plurali. Sciendum est etiam multò plura esse aptôta, quàm quæ in hac regula exprimuntur: vt frit, git, tax, & similia, quod posterius aduerbialiter quandoque vsurpatur pro tactim, & furtim.*

Contra monoptôta. *Quæst.* Venio nunc ad monoptôta, quæróq; quid tu vocas heteroclitum monoptôtum?

Resp. *Heteroclitum monoptôton propriè est nomen quod vnico in casu reperitur, eóq; ablatiuo plerumq; & communiter, quod quidem neutrius etiam sit generis.*

Obiectio de voce noctu. *Quæst.* Ego in hac parte tibi facilè assentior de casu, sed de genere fortassis non item. Puto enim posse me ostendere vocabulum noctu, quod inter alia exempla in hac regula collocatur, esse fœminini generis.

Resp. *Ego perquàm libenter hoc videre velim.*

Quæst. Apud Plautum in Amphitruonis actu primo, scæna quoque prima hæc leguntur verba: Credo ego hac noctu Nocturnum (Deum scilicet somni) obdormisse ebrium.

Resp. *Legendum potius esse puto (hoc noctu) vt videatur esse error Typographi.*

Quæst.

Quæst. Ego hanc tuam reſponſionem facilè diluam exemplarium omnium fide, quæ hanc lectionem ſequuntur. Vſus eſt etiam eádem voce in genere fœminino, actu ſecundo, ſcæna ſecunda, ſic ſcribens: Cur igitur prædicas te heri me vidiſſe, qui hac noctu in portum aduecti ſumus? Atq; eodem modo ſæpius apud eundem Plautum leges alibi,

Reſp. *Noctu ergo in hiſce locis idem valet, quod nocte.*

Quæſt. Si hoc tibi concedam diſputandi gratia: non tamen inde ſequetur noctu eſſe fœminini generis.

Reſp. *Si tibi minus placeat hæc reſponſio, vide an hæc ſolutio tibi melius arrideat, ſi dixero hanc locutionem hiſce loquendi modis eſſe ſimilem: pars merſi tenuere ratem: hæc manus ob patriam pugnando vulnera paſſi.* Solutio.

Quæſt. Vis ergo figuram Syntheſin eſſe in hac locutione, vt ſit oratio congrua ſenſu, non voce?

Reſp. *Ita planè volo. Sed hîc etiam ſuam interponat ſententiam doctiſſimus dominus index.*

Quæſt. In triptôtis, quæ heteroclita ſunt tribus tantum caſibus inflexa, inuenio vocem precis, quæ dicitur reperiri tantùm in genitiuo, accuſatiuo, atque ablatiuo, habere quoque datiuum ſingularem preci, contra regulam. Contra triptôta.

Reſp. *Cuius authoritate hoc confirmas?*

Quæſt.

Preci in datiuo.

Quæst. Ipsius Terentij, in Andria, actu secundo, scæna secunda: Nihil est preci loci relictum. Eodem modo apud Plautum nostrum in Truculento, actu primo, scæna prima, pauculis interiectis lineis bis legimus frugi bonæ. Vide locum in Indice nostro, ad calcem harum disputationum adiecto.

Solutio.

Resp. *De his nihil habeo aliud, quod respondeam, quàm quòd in simili argumento sæpiùs est supra à me responsum, solitos fuisse veteres his vti tunc temporis loquendi formulis, quorum hodiè apud nos, vel nullus omninò, vel valdè rarus, adeoq; rarissimus est vsus.*

Quæst. Plura huiusmodi ex intima antiquitate possem facilè hîc congerere, sed ne meritò videri possim prolixior, hoc alio fortassis loco magis idoneo & commodo (Deo volente & annuente) ad finem harum disputationum præstabitur.

DISPVTATIO DE COMPARATIONE NOMINVM.

QVAESTIO.

16. *An tres sint tantùm comparationis gradus, & vera sint omnia, quæ de his affirmantur?*

Præfatiuncula.

Quæst. Mihi in hoc argumento placet (viri grauissimi, vósque cæteri auditores optimi)

mi) quia paululum admodum temporis ad disputandum superesse video, illud omne (omissa longiore aliqua præfatione) in disputando, cum hoc Antagonista consumere, idque quàm breuissimè. Respondè itaque primùm, quæ nomina comparantur?

Resp. *Quorum significatio augeri, minuive potest.*

Quæst. Adiectiuorúmne, an substantiuorum, vel vtrorumque?

Resp. *Adiectiuorum tantùm propriè & vsitatè, substantiuorum verò rarius & minus propriè seu potius abusiuè. Atque hac ratione comparantur interdum etiam participia in nomina degenerantia; aduerbia item, & præpositiones quædam.*

Quæst. Quot sunt comparationis gradus in nominibus adiectiuis?

Resp. *Tres sunt in adiectiuis perfectis: in defectiuis verò deest aliquando aliquis gradus.*

Quæst. Cùm multa sint quæ possem hîc obijcere, ob temporis angustiam pauciſſimis ero contentus. Dic igitur de formatione horum graduum, vnde formetur gradus comparatiuus?

Resp. *A primo casu positiui in* (i) *addendo* or, & us. Obiectio.

Quæst. Habebimus ergo à docti, addendo *or*, doctior, & *us* doctiorus, & ita in alijs. Solutio.

Resp. *Habebimus te semper tui similem, hoc*

est, nugatorem, & sophistam. Est enim syllaba (or) *addenda ad terminationem communis generis*: us *verò ad terminationem neutrius generis, vt à docti, doctior; à dulci, dulcius, & ita in reliquis.*

Quæst. Sed vnde formabitur ab illis dictionibus, quæ nullum habent casum positiui in (*i*).

Resp. *Tu semper nugaris. Ego in tota hac quæstione loquor de perfectis & integris, & regularibus comparationibus, non autem de defectiuis, & irregularibus, vbi vel deest omninò comparatiuus, vel superlatiuus, vel formatur irregulariter.*

Quæst. Cùm mihi iam sit nota animi tui sententia, redeamus aliquando ad perfectas, integras, & regulares comparationes, & sicuti in hisce docuisti comparatiui comparationem, sic tandem doce superlatiui formationem.

Resp. *Superlatiuus itidem formatur à primo positiui in* (i) *addendo* (s) *&* (ssimus) *vt a duri, durissimus: nisi positiuus desinat in* (r). *Nam tunc superlatiuus formatur à positiuo in* (r), *addendo* (rimus) *vt ab ater, aterrimus.*

Obiectio. *Quæst.* Hanc ego formandi rationem à positiuis in (*r*) ostendam esse falsissimam. Quos enim habent superlatiuos celebris, salubris, celeris, alacris, & acris? Nonne celeberrimus, saluberrimus, celerrimus, alacerrimus, & acerrimus?

Soluto. Resp. *Rectè sanè. Sunt enim hi superlatiui à positiuis in* (r), *non autem à positiuis in* (is), *quorum*

superlatiui

ſuperlatiui iam non ſunt in vſu.

Quæſt. Dextrè reſpondiſti. Sex tamen præterea in *lis* perhibentur formare ſuperlatiuum à nominatiuo contra communem formandi rationem, vertendo *lis* in *limus*; vt facilis, facilimus, docilis, docilimus, ſimilis, ſimilimus, & ita de tribus reliquis. Certum eſt tamen adiectiuum ſimilis apud Ouidium facere ſuperlatiuum ſimillimus per geminum *ll*, pro ſimilimus, quod & in reliquis quòq; fieri aliquando, non erit ita difficile probatu. Obiectio. Rara auis in terris, nigroq; ſimillima cygno.

Reſp. *Quoties hoc fit, illud carminis gratiâ per Epentheſin fieri eſt intelligendum, hoc eſt, per interpoſitionem alterius* (l) *; cùm aliàs ſemper in oratione ſoluta per vnicum* (l) *verùs, & rectiùs ſcribi ſoleant.* Solutio.

Quæſt. Sed quid deniq; ad hæc & ſimilia reſpondes, paruiſſimus, multiſſimus, aſſiduiſſimus, egregijſſimus, pijſſimus, aliaq; plurima eiuſdem generis? Alia obiectio.

Reſp. *Sunt hæc irregularia, vſuſq; apud nos hodiè rariſſimi. Nos autem loquimur de ordinarijs & vſitatis, & regularibus formandi gradus comparationis modis. De heteroclitis autem, ſine irregularibus, de antiquis itidem, & nunc obſoletis conſulendi ſunt Grammatici, qui hæc fuſiùs tradunt, legendiq; priſcorum & veterum libri, apud quos multa paſſim occurrent notatu, potiùs quàm imitatu digna, vt ſæpius eſt antea dictum.* Soluio.

DISPVTATIO DE PRONOMINE.

Quæstio prima.

17 *An quindecim sint pronomina, & omnia vera, quæ de illis docentur?*

Præfatiuncula.

QVæst. Durum (viri amplissimi) omninóq; graue onus humeris meis pro Scholæ nostræ consuetudine impositum esse video, qui in celebri hac ornatissimorum & doctissimorum corona & frequentia, contra regularium Grammaticalium, in quæstione de pronomine proposita, veritatem hoc tempore, in huiusce exercitationis genere parum hactenus versatus, disputare necesse habeo. Maximam enim ingenioli mei infirmitatem & imbecillitatem (ne dicam hebetudinem) esse fateor. Verùm cum hoc mihi à præceptore benignissimo demandatum sit, cui, omni officij & obseruantiæ genere, multis nominibus obstrictus esse meritò debeam; cuiusque voluntatem legis loco mihi semper habendam esse duxerim: quid de hac ipsa quæstione in hac Grammaticali prouincia sit statuendum, paucis, vestra fretus humanitate, & benignitate, expediam. Vbi si quid minus fœliciter disputâsse videar, à vobis obnixè & submisse

ſubmiſſè contendo, vt hoc omne meæ infantiæ & ignorãtiæ cõdonare clementer dignemini. Non rarò enim, vel adhibita cogitatione & meditatione diligentiſſima, accidere ſolet, vt plurima omiſiſſe, aut de via longius receſſiſſe videamur. Sed his omiſſis, libet primũ abs te hoc loco percontari, quot putes eſſe pronomina?

Reſp. *Tot puto eſſe pronomina, quot in Grammatica noſtra recenſentur, nempè quindecim.* De numero Pronominum.

Quæſt. Sunt nouemdecim, ergo non ſunt quindecim.

Reſp. *Nego argumentum. Inſulsè enim & inſipidè ratiocinaris. Nam maior numerus includit ſemper minorem, non autem minor maiorem. Rectiùs ergo longè concluſiſſes hoc modo: Sunt nouemdecim pronomina, ergo ſunt quindecim, quàm ſic: Sunt quidecim, ergo ſunt nouemdecim. Verùm nego eſſe nouemdecim pronomina.* Maior numerus infert minorem, non autem è contrario.

Quæſt. Egomet, tute, is, idem, & qui, ſunt pronomina: ſunt itaq; nouemdecim, vel potius viginti pronomina. Obiectio.

Reſp. *Hac ratione facilè probaueris longè plura eſſe pronomina, ſi omnia pronomina compoſita recenſeas. Ego autem, cùm quindecim dico eſſe pronomina, loquor de pronominibus ſimplicibus duntaxat, non autem de compoſitis.* Solutio. Quindecim eſſe pronomina ſimplicia.

Quæſt. Multas tu quidem habes euadendi latebras, verùm non ſic tamen effugies. Vt enim tibi concedam, te de ſimplicibus pronominibus

minibus est locutum, sunt nihilominus plura pronomina simplicia, quàm quindecim.

Resp. *Quasi ego hoc vnquam negauerim, vel hæc tua obiectio quicquam contra me faciat, qui hactenus non affirmauerim, non esse plura pronomina, quàm quindecim, cum quindecim dixerim esse pronomina.*

Quæst. Frustrà igitur suscepta est à me hæc opera, qui cum tam callido nugatore habuerim hucusque negotium. Sed ne mihi, & alijs ad eundem modum postea imponas, dic nunc apertè, vtrum quindecim solummodò esse pronomina defendere audeas, ita nec plura, nec pauciora esse sentias?

Resp. *Fateor me hæc omnia hactenus, non quòd ita re vera senserim, sed vt te tentarem, dixisse. Iam verò quindecim duntaxat esse pronomina affirmo, si de pronominibus simplicibus loquare.*

Is, & Qui. *Quæst.* Itáne tandem quæso? Is, & Qui, num pronomina esse simplicia negabis?

Resp. *Sunt sanè dictiones simplices, verùm sintne pronomina, nécne, non facile dixerim.*

Quæst. Vsurpantur in demonstranda, aut repetenda re aliqua: sunt itaque pronomina.

Resp. *Nolo tecum de hisce duobus vocabulis verbosiùs contendere, cum verbis disertis in Rudimentis Anglicanis habeatur, posse quidem has duas dictiones quindeno pronominum numero addi.*

Quæst. Admitto hanc tuam responsionem,

si

si modò rationem aliquam probabilem reddere possis, cur hæ duæ voces, Is, & Qui, si non sunt pronomina, possint tamen addi pronominibus.

Cur Is,& Qui adduntur pronominibus.

Resp. *Nihil est omninò factu facilius. Si enim non sunt hæc duo vocabula pronomina, possunt tamen addi pronominibus reliquis, tum quòd in demonstrando, & repetendo usurpantur, tum quòd inter declinandum magnam habent cum alijs pronominibus secundæ declinationis affinitatem & similitudinem.*

Quæst. Non displicet hoc tuum responsum; non tamen ita desistam, sed alia adhuc ratione euincam, longè plura esse pronomina, quàm quindecim.

Resp. *Audiamus aliquando insignem scilicet hanc rationem.*

Viginti nouem pronomina.

Quæst. Octo (secundum Grammaticam nostram) sunt pronomina primitiua, nec pauciora sunt pronomina demonstratiua: sunt quoq; sex pronomina relatiua, & septem præterea pronomina deriuatiua. Quid tibi ergo iam videtur? Nónne vides quàm citò pronominum multitudo ad numerum longè maiorem quàm quindecim excreuerit.

Resp. *Si tam esses fœlix in pecunijs multiplicandis, quàm es versutus in augendo pronominum numero, breuissimo temporis spatio vel ipsum Crœsum diuitijs facilè superares.*

Quæst. Non est hoc respondere, sed tergiuersari, & deridere.

Resp. *Ridicula & futilis obiectio tua non aliam meretur responsionem. Ne tamen tibi ipsi de hoc præclaro argumento nimiùm placeas, quàm sit illud friuolum & vanum paucis demonstrare conabor. Sic itaq; respondeo. Vbi tu callidè & astutè sexdecim esse pronomina primitiua, & demonstratiua probare volebas, ego octo duntaxat esse huiusmodi affirmo. Non enim sunt numero, sed officio, seu potiùs naturâ diuersa pronomina, primitiua, & demonstratiua. Octo enim illa pronomina, quæ primitiua dicuntur, sunt eadem etiam demonstratiua. Addo præterea, esse quoque quinque ex illis relatiua, nempe, ille, ipse, iste, hic & is. Vnde satis constat, quindecim solummodò esse pronomina simplicia & genuina, si modò demas duo illa addititia, is, & qui, de quibus est antea tibi à me satisfactum.*

Præcedentis obiectionis solutio.

Quæst. Mira tu quidem narras, & monstri profectò similia, vt vnum & idem pronomen, quasi triceps esse videatur (quod rectiùs fortassis de Cerbero, cane illo infernali finxêre Poëtæ) primitiuum videlicet, demonstratiuum, & relatiuum.

Resp. *Adeóne tu rudis es & rerum Grammaticalium imperitus, vt hoc tibi nouum & inauditum esse appareat?*

Quæst. Non pudet hac in re infantiam & ignorantiam meam profiteri. Tu, qui tantum tibi

bi scientiæ & cognitionis arrogare videris, doce tandem qua ratione hoc fieri possit.

Resp. *Sannas hasce tuas, & ludibria tibi, tuique similibus relinquo, & quod tantoperè expetis, hac ratione expedio. Pronomen vnum & idem, & esse & dici potest primitiuum, demonstratiuum, & relatiuum, non eodem tamen, sed diuerso respectu. Exempli gratiâ, pronomen Ille respectu originis suæ est primitiuum, quòd non aliunde deriuetur; respectu demonstrationis, est demonstratiuum, eò quòd rem, siue personam aliquam quasi monstrando denotet, de qua antea nulla fuit facta mentio: respectu verò relationis, est relatiuum, eò quòd rem, vel personam quampiam repetat, cuius priùs antegressa est mentio. Atq; ita de reliquis pronominibus est sentiendum, quæ diuerso respectu ad diuersa pronominum genera referri possunt.*

Vnum & idem pronomen diuerso respectu ad diuersa pronominum genera referri potest.

Quæst. Optimè tu quidem hæc explicasti, quæ prius non intellecta, nonnihil difficultatis, iunioribus præsertim exhibere poterant: fateórque te ita dextrè & appositè prioris obiectionis meæ vim & robur (si quod haberet) eneruâsse, vt nullius in posterum momenti & valoris meritò esse videatur. Sed restat mihi adhuc vnica ratio, qua probem plura esse pronomina, quàm quindecim.

Resp. *Quænam sit illa tandem, per quam lubens audire velim.*

Quæst. Petitur hæc ratio à numero pronominum

minum, quæ vnicuique pronominum declinationi in Grammatica noſtra tribuuntur. Cùm enim quatuor eſſe pronominum declinationes conſtet inter omnes, & ſit etiam hoc æquè manifeſtum, ad primam declinationem referri tria pronomina, ad ſecundam ſex, ad tertiam quinque, ad quartam tria: quis non videt ſeptemdecim ſaltem eſſe pronomina, ac non tantùm quindecim, quod ſupra affirmâſti?

Septemdecim pronomina.

Reſp. *Quis non videt longè minorem vim eſſe in hac ratione, ad illud quod inſtituiſti probandum, quàm in ſuperiore?*

Quæſt. Quid ita demùm? num poteris hanc obiectionem eodem, quo priorem, modo ſoluere, vt dicas nempè, vnum & idem pronomen ad diuerſas declinationes referri, quemadmodum ad diuerſa genera diuerſo reſpectu referuntur?

Reſp. *Minimè opus eſt hac, hoc loco, ſolutione. Si enim de pronominum numero demas relatiuum (qui, quæ, quod) addititicium potius quàm genuinum, & germanum pronomen (vti prius demonſtratum eſt), quindecim reperientur ſolummodò pronomina, nec plura nec pauciora.*

Solutio præcedentis obiectionis.

Quæſt. Demito, ſi libet, relatiuum Qui, quæ quod, reſtabunt tamen adhuc ſexdecim.

Reſp. *Ego illud conſtanter nego. Cuias enim non eſt pronomen, ſed nomen duntaxat.*

Cuias.

Quæſt. Probo dictionem Cuias eſſe pronomen

men duabus rationibus, quarum prior est huiusmodi: Deriuatiua pertinent ad illam orationis partem, ad quam primitiua: dictio verò Cuias deriuatur à genitiuo Cuius, pronomine relatiuo, est ergo cuias pronomen.

Resp. *Nihil est omninò veri in hoc argumento. Est enim falsa maior, falsa itidem & minor, non potest ergo conclusio esse vera.*

Quæst. Si tam sit manifesta & aperta argumenti huius falsitas, ostende quæso qua ratione, ne simpliciores eádem hac ratione aliquando decipiantur & fallantur.

Resp. *Propositionis, siue maioris falsitas sic patet, ex absurdo. Si deriuatiua eiusdem sunt partis orationis cum primitiuis, sequeretur, multa verba, participia, & aduerbia, & alias orationis partes esse nomina, quia illorum primitiua sunt nomina. Huius generis inter alia infinita sunt hæc pauca: iuueneſco, iuueniliter, à nomine iuuenis: seneſco, seneſcens, seniliter, à nomine senex: quæ si propterea nomina esse contenderes, quòd illorum primitiua sunt nomina, scilicet iuuenis, & senex, dignus sanè esses, quem omnes ob tam insignem insciam è scholis meritò exploderent.* Falsitas superioris argumenti.

Quæst. Ego probè mihi eram conscius vitiosam esse maiorem. Sed quid tandem in minore reprehendis?

Resp. *Minor non minus habet in se falsitatis quàm Maior. Non enim derivatur vel à genitiuo*

Cuius

Cuius nomen gentile.

Cuius, vel à nominatiuo Cuius, cuia, cuium, sed est vox Cuias per se primitiuum Gentile, quod etiam disertis verbis in Rudimentis Anglicanis habetur. Si igitur secunda tua ratio sit huic priori similis, nihil prorsus habebit in se rationis.

Quæst. Hoc tum demùm rectiùs pronuntiare poteris, si quid minùs firmum & inualidum in eodem argumento, cùm prolatum fuerit, deprehenderis.

Resp. *Proferto igitur, vt quas habeat vires tandem aliquando appareat.*

Quæst. Profero: tu autem diligenter ausculta.

Resp. *Hoc iamdudum ago.*

Ratio secunda.

Quæst. Quæ ad eandem declinationem referuntur, sub eadem quoque orationis parte continentur: Cuias verò ad quartam pronominum declinationem refertur: est igitur Cuias pronomen. Quid hæres? Cur non respondes?

Resp. *Si negarem esse illa eiusdem partis orationis, quæ ad eandem declinationem referuntur, non video quid inde sequeretur incommodi, quidue possis contra hanc solutionem regerere: habeo tamen aliud ad quod confugiam.*

Quæst. Quidnam quæso?

Solutio.

Resp. *Refertur Cuias ad quartam pronominum declinationem, non quòd sit reuera pronomen, sed quòd maximam habet terminationum affinitatem*

tatem cum pronominibus Noſtras, & Veſtras quarta declinationis. Non ignoro tamen hanc vocem Cuius, vnà cum hiſce dictionibus Talis, & Qualis, à magni nominis authoribus in pronominũ albo cenſeri. Sed ego Grammaticam noſtram authoritate Regia munitam præ alijs omnibus ſequor. Alij Grammatici.

Quæſt. Eſt illa ſanè præ alijs meritò ſequenda, quarum nulli (meo quidem iudicio) cedit, ſi docendi breuitatem, veritatem, & perſpicuitatem recta ratione ponderare libeat. Sed iam pergamus ad alia. Satis enim de hac quæſtione eſt diſputatum. Et fortaſſis ex ſocijs alij, alia ratione hoc idem argumentum poſtea tractabunt.

SECVNDA QVAESTIO DE PRONOMINUM perſonis.

QVAESTIO.

An tres ſint tantum Pronominum perſonæ? 18

Veſt. Satis tu quidem ſtrenuè & fortiter pro virili tuâ pronominum numerum eſtutatus. De perſonis verò, quæ tradit Grammatica, audéſne omnia vt vera & firma defendere? Præfatiuncula.

Reſp. *Non eſt cur, quò minus hoc faciam, vlla de cauſa reformidem.*

Quæſt.

Quæſt. Dic ergo (priuſquam vlterius progrediar) quot habeat perſonas pronomen?

Tres pronominum perſonæ.

Reſp. *Tres ſunt pronominum perſonæ, prima ſcilicet, ſecunda, & tertia.*

Quæſt. Magno profectò in errore verſaris, ſi corde credas, quæ verbis profiteris.

Reſp. *Non eſt meum ſimulare: Tu, qui fictè, & fucatè omnia agis, doce qua ratione hoc fieri poſſit?*

Vnam eſſe duntaxat perſonam.

Quæſt. Vnica eſt ſolummodò in pronominibus perſona: erras igitur, qui tres putas eſſe pronominum perſonas.

Reſp. *Probato vnicam eſſe ſolummodò in pronomine perſonam.*

Quæſt. Si ſunt plures quàm vna in pronominibus perſonæ, tunc aliquæ dictiones caſibus inflexæ ſunt primæ, vel ſecundæ perſonæ: ſed nullæ dictiones caſibus inflexæ ſunt primæ vel ſecundæ perſonæ: eſt itaq; in pronominibus vnica tantumodò perſona.

Reſp. *Sunt quædam dictiones caſibus inflexæ, quæ referuntur ad primam, vel ſecundam perſonam.*

Omnes dictiones caſibus inflexas, eſſe tertiæ perſonæ.

Quæſt. Si omnes dictiones caſibus inflexæ, ſunt tertiæ perſonæ, tunc nullæ dictiones caſibus inflexæ poſſunt eſſe primæ vel ſecundæ perſonæ: ſed omnes dictiones caſibus inflexæ ſunt tertiæ perſonæ, ergo nullæ dictiones caſibus inflexæ, ſunt primæ, vel ſecundæ perſonæ.

Reſp.

Resp. *Omnes dictiones casibus inflexæ, non sunt tertiæ personæ.*

Quæst. Omnia nomina, pronomina,& participia, sunt tertiæ personæ: omnes dictiones casibus inflexæ,vel sunt nomina, vel pronomina, vel participia:ergo omnes dictiones casibus inflexæ, sunt tertiæ personæ.

Resp. *Omnia nomina,pronomina, & participia non sunt tertiæ personæ.*

Quæst. Contra negantem principia non est vlterius disputandum. Luditur etiam opera, si cum illo pergas ampliùs disceptare, qui apertas Grammaticæ regulas, quas magna cum confidentia tutandas suscepit, omni abiecto pudore negare non erubescat. Regulę manifestę non sunt negandę.

Resp. *Quis regulas manifestas negare conatur?*

Quæst. Ipse tu, siue hoc prudens facias, siue imprudens. Sic enim Grammatica in Rudimentis Anglicanis de pronomine: Tertia persona est, de qua aliquid dicitur, siue de qua loquimur;ac proinde omnia nomina,pronomina & participia sunt tertiæ personæ. Quid iam ais? An non constrictus teneris, vt quò te vertas, nescias? Non sunt hæc de meo cerebro excogitata verba; Agnoscis (opinor)authorem. Regula Grammaticalis.

Resp. *Quid opus est (quæso) tam magnifice ante victoriam triumpho? Non est, quod tantopere glorieris. Mox enim omnibus palàm faciam, quàm sis sophista insignis, & nugator egregius.*

Quæst.

Quæst. Isne tibi sophistæ & nugatoris nomine dignus videtur, qui nuda profert Grammaticæ verba, sine vlla eorundem vel additione vel diminutione?

Resp. *Vel maximè: si verba Grammaticæ ad sensum alienum, imò prorsus contrarium detorqueas.*

Quæst. Quem tu ergo putas esse regulæ priùs à me allatæ sensum?

Resp. *Satis est per sese manifesta & plana regulæ illius mens & sententia, si proximè antecedentia sedulò & diligenter animaduertas.*

Quæst. Quomodo?

Explanatur sensus regulæ supra citatæ.

Resp. *Dictum est antea tres fuisse pronominum personas, ad quarum primam referuntur Ego, & Nos: ad secundam Tu, & Vos: ad tertiam verò Ille, & Illi, quibus subijcitur, omnia nomina, pronomina, & participia esse huius (tertiæ scilicet) personæ, illis videlicet exceptis, de quibus in proximè præcedentibus facta est mentio.*

Quæst. Propriè dixisset, reliqua pronomina, quàm omnia pronomina, sunt tertiæ personæ.

Resp. *Sic loquendo sublata fuisset omnis dubitandi occasio, præcideretúrque tui similibus, hoc est, mugiuendulis & cauillatoribus, omnis de lana caprina rixandi ansa. Sed candidis & synceris ingenijs, & ab omni nugandi studio alienis satis sunt illa verba manifesta & perspicua.*

Quæst.

Quæſt. Benè habet. Tibi (vt video) non facilè quiſquam imponet, ita es ad omnes perſcrutandum latebras & diuerticula inſtructus & paratus. Verùm quoniam hæc non ſucceſſit, alia aggredienda eſt via. Quid ergo? Verane ſunt omnia, quæ de prima & ſecunda perſona affirmantur? De prima & ſecunda perſona.

Reſp. *Sunt omnia veriſſima.*

Quæſt. Ego igitur, & Nos ſunt primæ perſonæ: Tu item, & Vos, vnà cum omnibus vocatiuis ſolummodò ſunt ſecundæ perſonæ.

Reſp. *Ita ſentio.*

Quæſt. Quid itaque ſtatuendum cenſes de horum Pronominum obliquis, tam ſingularibus, quàm pluralibus?

Reſp. *Eſſe nimirùm eiuſdem perſonæ cum illorum rectis ſingularibus, & pluralibus.*

Quæſt. Fateare tunc neceſſe eſt plures voces eſſe primæ & ſecundæ perſonæ, quàm Ego & Nos; Tu, & Vos: id quod paulò ante pernegâſti.

Reſp. *Nulla eſt omninò huiuſmodi neceſſitas.*

Quæſt. Pugnantia loqueris. An non ſunt enim mei, mihi, me, obliqui ſingulares, primæ perſonæ cum nominatiuo ſingulari Ego? Noſtrûm verò, & Noſtri, Nobis, an non ſunt etiam eiuſdem perſonæ cum nominatiuo plurali Nos? Quod idem de obliquis ſecundæ perſonæ, Tui, tibi, te, veſtrûm vel veſtri, & Me, mihi, me, &c.

vobis, est omnino affirmandum.

Resp. *Quid tum postea?*

Quæst. Sunt proinde plures voces primæ personæ, quàm Ego & Nos: Plures item voces secundæ personæ, quàm Tu & Vos.

Solutio. Resp. *Vbi dicit Grammatica Ego & Nos esse primæ personæ: Tu & Vos autem pertinere ad secundam: intelligendum est reliquos quoque earundem dictionum casus, tam singulares quàm plurales, eiusdem esse personæ cum suis nominatiuis singularibus & pluralibus.*

Quæst. Cur non disertis hoc verbis in regulis Grammaticalibus exprimitur?

Resp. *Supernacaneum foret omnes in docendo minutias persequi. Omittuntur multa tanquam ex sese satis nota & familiaria. Pleraq; etiam relinquuntur sedulis præceptoribus inter docendum supplenda & explananda: non pauca præterea crebris ingenuorum adolescentulorum de rebus Grammaticalibus disputationibus fient dilucida & manifesta.*

Alia obiectio. *Quæst.* Quia tàm dextrè & promptè ad omnia respondere soles, alijs allatis argumentis sic contra te in hac causa insurgam. Hæc tria Pronomina, Ipse, Idem & Qui, sunt primæ & secundæ personæ: ergo plura Pronomina præter Ego & Tu sunt primæ & secundæ personæ.

Ipse, Idem, & Qui.

Solutio. Resp. *Idem & Qui non sunt reuera Pronomina, sed adduntur Pronominibus, ob magnam, quam*

cum

cum illis habent affinitatem: ac proinde nihil contra nos faciunt: Ipse, tametsi sit Pronomen, non est tamen vel solius primæ personæ, vel solius secundæ personæ, sed etiam tam indifferenter tertiæ personæ, quàm primæ vel secundæ. Non infringit igitur illorum veritatem, quæ de prima & secunda persona affirmantur.

Quæst. Quid ita tandem?

Resp. *Quia cùm docet Grammatica Ego & Nos esse primæ personæ: Tu verò & Vos, secundæ, hoc vult dicere; nempè ex omni Pronominum numero nulla præter Ego & Tu reperiri, quæ sint solummodò primæ, vel solummodò secundæ personæ.*

Quæst. Probo hoc tuum responsum, & aliâ adhuc vtar in hac quæstione ratione, cui, vbi satisfeceris, dabo locum alijs, si qui velint præterea virium tuarum in hoc argumento periculum facere.

Resp. *Caue ne te hoc loco spes tua fallat, quemadmodum & ante hac sæpe fefellit.*

Quæst. Noli timere: non fallet, tu modò reuoca in memoriam, quæ prius affirmâsti: omnia scilicet nomina esse tertiæ personæ in omnibus casibus præterquàm in vocatiuo.

Resp. *Probè memini, quid inde concludes.*

Quæst. Audies. Ego contrà affirmo, omnia nomina, vel esse reuera vel saltem esse posse primæ vel secundæ personæ. Alia Obiectio

Resp. *Mirus eris dicendi artifex, si hoc effeceris.*

Quæst. Conabor saltem, tu modò vide, vt sis paratus ad argumenti mei ictus, vel sustinendos, vel ab humeris tuis cautè (si poteris) depellendos.

Resp. Ego omnes argumentorum tuorum ictus, ita coniectos vt vitari posse non videantur, parua quadam corporis declinatione (vt aiunt) effugiam.

Quæst. Si tibi tam instructus, & ad omnem Martis aleam paratus esse videris; vt alia eiusdem generis infinita, passim apud probatos authores obuia, breuitatis gratiâ omittam, quid ad hoc Virgilianum respondebis?

Vrbem quam dicunt Romam, Melibœe, putaui
Stultus ego, huic nostræ similem, quo sæpe solemus
Pastores ouium teneros depellere fœtus.

Resp. *Quid hoc ad propositum?*

Quæst. Non potuit aptius vllum exemplum inveniri ad illud, quod instituì probandum.

Resp. *Doce qua ratione.*

Coràm quem quæritis adsum, Troius Æneas Virg.

Quæst. Quia manifestè liquet nomen Pastores esse primæ personæ in hoc exemplo, cuius generis possent multa præterea adduci.

Resp. *Non ibo inficias magnam reperiri apud authores probatos exemplarium similium multitudinem: vt tamen quis inde perspiciat nomina omnia, vel esse reuera, vel saltem esse posse primæ personæ, opus est vt habeat oculos plus quàm lynceos.*

Quæst. Admodùm hebes est oculorum tuorum

rum acies, si hoc videre nequeas. Faciam itaq; perspicuum hac ratione. Verbum personale, & eius nominatiuus eiusdem sunt personæ: (Solemus) autem verbum, est primæ personæ, ergo (Pastores) eidem verbo nominatiuus, est primæ personæ. Atque idem de omnibus alijs similibus est dicendum.

Resp. *Non est vox (Pastores) nominatiuus verbo (solemus.)*

Quæst. Tentandi gratiâ hoc ais, non quòd ita reuera sentias.

Resp. *Non aliter loquor, quàm sentio.*

Quæst. Esse vocem (Pastores) nominatiuum verbo (solemus) sic ostendo, à definitione nominatiui casus. Omnis dictio casualis verbum præcedens, & respondens quæstioni factæ per quis vel quid, est verbo nominatiuus: vox (Pastores) est huiusmodi, est ergo verbo nominatiuus.

Resp. *Est nominatiuus per Appositionem:*

Quæst. Appositio est duorum vel plurium substantiuorum: est hîc vnicum solummodò substantiuum: nulla est hîc igitur Appositio. Instantia.

Resp. *Intelligitur hîc alterum substantiuum,* Solutio. *scilicet (nos); atq; ita constat constructio hoc modo: Nos Pastores solemus.*

Quæst. Exprimuntur semper substantiua in Appositione: Non potest ergo hîc esse Appositio.

Euocatio, Resp. *Est igitur figura Euocatio.*

Quæst. Quod das, accipio. Non potuisti vlla ratione melius votis meis satisfecisse. Iam enim, velis nolis, ex tuis ipsius verbis euincam omnia nomina esse posse primæ vel secundæ personæ.

Resp. *Quo modo?*

Quæst. Per Euocationem prima vel secunda persona ad se euocat tertiam.

Resp. *Concedo.*

Quæst. Hoc autem quoties accidit, ambæ fiunt primæ vel secundæ personæ.

Resp. *Hoc nego.*

Quæst. Negas ergo ipsissima Grammaticæ verba, quæ traduntur de figura Euocatione, ex quibus sic concludo: Quicquid sit primæ vel secundæ personæ, illud ipsum meritò dici potest esse primæ vel secundæ personæ: sed per Euocationem omne nomen fit primæ vel secundæ personæ: est igitur per Euocationem omne nomen vel primæ vel secundæ personæ. Consequitur itaque omnia nomina esse posse primæ vel secundæ personæ, contra illud, quod in personis pronominum habetur, omnia nempè nomina esse tertiæ personæ.

Per Euocationem omnia nomina esse possunt primę vel secundæ personæ.

Resp. *Profundum sanè est ingenij tui acumen, qui hæc tam longè & altè petita adduxeris ad institutum tuum probandum, quibus nihilominus parùm aut nihil iuuaberis.*

Quæst.

Quæst. Quid ita?

Resp. *Tum, quia vbi affirmat Grammatica omnia nomina esse tertiæ personæ, intelligendum est de nominibus in propria natura acceptis, & in simplici constructione collocatis: tum quia hæc ipsa, quæ figuratè per Euocationem ad primam vel secundam personam reducuntur, illius constructionis, non naturæ suæ ratione, tantisper primæ vel secundæ personæ vim & formam induunt, dum in illa Syntaxi tantummodò usurpantur, cùm extra illam in simplici constructione semper sint tertiæ personæ.* Solutio.

Quæst. Satis est inter nos duos de pronomine concertatum. Si quid habent reliqui Disputatores, quod in hoc argumento obijciant, liberum esto per nos, vt in hanc arenam disputaturi, cùm velint, conscendant.

DISPVTATIO DE DEFINITIONE Pronominis.

QVAESTIO.

An vera sit Pronominis definitio. 19

Quæst. Satis acriter & animosè, atq; etiam prolixè satis, qui ante nos disputârunt, de pronomine disserûêre, quos attentè quidem (auditores humanissimi) audiuistis. Cùm autem Præfatiuncula.

tem & ego non pauca habeam, quibus regularum Grammaticalium in hac orationis parte veritatem labefactare mihi posse videar: sinite (quæso) vos orem, imò vos exorem (quæso) sinite, vt dum illa contra hunc meum aduersarium, quem hîc coram vobis adstantem cernitis, protulero, nobis inter nos mutuò de hisce rebus decertantibus, aures benignas præbeatis. Sed his omissis, monet iam tempus, vt ad te (aduersarie) orationem meam conuertam, à quo perquam libenter scisciari velim, quàm sis paratus ad illa tutanda & defendenda, quæ tradit Grammatica de Pronominis definitione?

Resp. *Mihi profectò non est dubium esse illa omnia certissima & firmissima, quæ docentur in Grammatica de Pronominis definitione.*

Definitio Pronominis.

Quæst. Quid ais igitur ad ipsissima prima verba, quæ in Rudimentis Anglicanis habentur de hac ipsa re, vbi affirmat Pronomen esse orationis partem nomini similimam, qua in demonstranda, & repetenda re aliqua vtimur? Agnoscis (opinor) hæc verba.

Resp. *Agnosco sanè, nec agnouisse pudet. Sunt enim rei veritati quàm maximè consentanea.*

Quæst. Sed si ego illa rei veritati esse quàm longè dissentanea probauerim, vereor ne te mox non sine aliqua dedecoris nota, aliam cantilenam canentem viri hi grauissimi & ornatissimi audiant.

Resp.

Resp. *Audio Thrasonicam militis glorioſi iactantiam. Sed quid verba audiam, cum potius facta videre debeam?*

Quæſt. Vide igitur, & ad hoc mihi primùm reſponde, quæ ſcilicet poſſit eſſe affinitas & ſimilitudo inter illa, quæ inter ſeſe longiſſimè diſſentiunt, & diſcrepant?

Reſp. *Fateor hoc libens, non poſſe illa nempè dici ſimilima, quæ nullam habent inter ſe affinitatem & ſimilitudinem.*

Quæſt. Sed talia ſunt omninò nomen & pronomen: tu conijcito cætera.

Reſp. *Conaris nimirùm hinc inferre, non eſſe pronomen orationis partem nomini ſimilimam.*

Quæſt. Conclude tu ita, ſi velis, & vbi concluſeris reſponde. Probè enim calles mentis meæ ſenſum.

Reſp. *At enim ego hoc tibi non concedam, adeò inter ſeſe diſſentire nomen & pronomen, vt non poſſit alterum alteri dici ſimilimum.*

Quæſt. In quibus nulla eſt ſimilitudo, qua ratione poſſunt illa inter ſe conuenire?

Reſp. *Noli (quæſo) captioſis huiuſcemodi interrogatiunculis me ita circumducere: Age candidè & apertè, vt ingenuum & liberalem decet puerum.*

Quæſt. Ego à dolo & calliditate longè ſum alienus. Sic ergo (quia ita vis) candidè & apertè tecum ago. Quorum eſt diuerſa definitio,

illa

Differentia definitione.

illa inter se similia esse nullo modo possunt: nam quæ definitione differunt, ea profectò maximè inter se differunt.

Resp. *Potest tamen esse aliqua conuenientia etiam in illis, quorum diuersæ sunt definitiones.*

Quæst. Intelligo quid velis, esse videlicet in attributis, siue accidentibus nominis & pronominis aliquam similitudinem.

Resp. *Sic volo. Licèt non ita magna sit differentia in definitionibus harum partium.*

Nomen significat rem.

Quæst. An non longè maxima est differentia? Primò nomen significat rem: pronomen autem rem omninò nullam significare credo.

Resp. *Itáne quæso? Ego, Tu, & ille, nónne res sumus? Vel si tu saltem, perpusillus & nanus, vel pygmæus potius, ita profectò paruus, & exiguus sis, vt nihil reuera, magis quàm res aliqua dici merearis, te ipsum rem nullam esse fatebere: ego sanè talem iniuriam mihi inuri nulla ratione patiar, vt me, rem nullam esse concesserim.*

Quæst. Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui. Quasi verò ita magna sit discrepantia inter vtriusque nostrûm staturam, vt tu Atlas scilicet, res dici debeas: ego verò pygmæus, nihil esse meritò censeri debeam. Sed extra iocum. Licèt Ego, Tu, & Ille, si de substantia & essentia corporum nostrorum loquare, simus res quædam, hæc tamen nuda (vt proferuntur) vocabula, nec res sunt, nec rem aliquam

quam significant, sed sunt personæ, hoc est (vt ego interpretor) rerum, siue corporum affectiones, & qualitates quædam.

Resp. *Acutè tu quidem & subtiliter, nec prorsus à rei veritate (vt ingenuè fatear) disputásti.*

Nomen significat rem sine temporis & personæ differentia.

Quæst. Agnoscis ergo in hac definitionis parte magnum esse inter nomen & pronomen discrimen. Pergamus ad cætera. Nomen significat rem sine vlla temporis & personæ differentia: sed pronomen, quicquid tandem est, omninò & solùm significat personæ differentiam. Hîc itaque adhuc nulla est pronominis cum nomine similitudo.

Resp. *Ego tamen cum Grammatica nostra obstinatè defendo, pronomen esse orationis partem nomini valdè similem.*

Quæst. Obstinatè quidem. Nil enim veriùs vnquam protulisti, sed sine vlla prorsus ratione hoc affirmas. Si nullam potes similitudinem pronominis cum nomine ostendere: quin dicas tandem, vel in hac re saltem esse similia, quòd vtroque vtamur in demonstranda, & repetenda re aliqua. Hoc enim solum est reliquum in pronominis definitione.

Resp. *Hoc si dicerem, an non aliquid tibi dixisse demùm videar?*

Quæst. Sed hoc aliquid (vt inquit ille apud Comicum) nihil est. Dic enim, vbi tu vnquam nomen aliquod demonstratiuum, aut relatiuum repereris?

repereris?

Resp. *Esto quòd non repererim, & quòd hac ratione liceret fortassis effugere, si dicerem, me non Anglicanas, sed Latinas Grammaticæ nostræ regulas velle defendere: ego tamen aliquam similitudinem inter nomen & pronomen esse arbitror in vtriusq; attributis, siue accidentibus.*

Quæst. Quàm rectè hoc etiam affirmaueris, ipse videris. Nam siue de casibus vtriusque loquaris, siue declinationibus, siue comparationibus, siue demùm generibus, quàm maximè in hisce ferè omnibus inter se dissonant. Habent enim omnia ferè nomina sex casus, pronomina verò omnia, quatuor exceptis, carent vocatiuo. Nomen admittit quinque declinationes, pronomen tantùm quatuor. Si verò declinandi terminationes respicias, non magis ferè album à nigro discrepat, quàm sunt diuersæ in harum declinationibus terminationes. Comparantur demùm nomina per tres comparationis gradus: pronomina verò, aut non omninò comparantur, aut rarò, & impropriè comparantur. Vbi ergo reperitur hæc tam magna similitudo?

Discrimen. inter nomen & pronomen.

Resp. *Illa est consideranda in casibus, numeris, generibus, & declinationibus; vbi sufficit, si in quibusdam sunt similia, licèt non in omnibus prorsus, & omninò conueniant.*

Quæst. In hac tua responsione acquiescam, nec

nec te arctius hoc argumento conſtringam hoc tempore.

DISPVTATIO DE NVMERO PRONOMINUM, aliter quàm paulò *ſuperius, tractata.*

QVAESTIO.

An ſunt tantum quindecim pronomina, nec plura, nec pauciora? 20.

Præfatiuncula.

Quæſt. De numero Pronominum tecum (condiſcipule chariſſime) diſputaturus, quò melius tollatur omnis inter diſputandum tergiuerſandi & cauillandi anſa, neceſſe eſt, vt hoc mihi primùm expedias, num tu omnia, quæcunque, & vbicunque in Grammatica docentur de pronomine, pro veris & indubitatis tutari & defendere velis, nécne?

Reſp. *Quas tradit Grammatica noſtra regulas de pronomine, ſiue in Rudimentis Anglicanis, ſiue inter Latinas de octo orationis partibus præceptiones, ſiue denique in conſtructionis præceptis, eaſdem ego omnes veriſſimas eſſe affirmo.*

Quæſt. Si ita tibi ſit ſtatutum, ego facilè Grammaticam tuam ſibi parùm conſtare probabo, vt quæ modò plura dicat eſſe pronomina, quàm quindecim: modò verò pauciora, quod ſanè

ſanè magnæ leuitatis & inconſtantiæ videtur mihi eſſe argumentum.

Reſp. *Hoc ſi tu ſtrenuè poſſis euincere, cedam ego tibi huius victoriæ palmam.*

Quæſt. Ego in vtrumque hoc ſum paratus. Primóque ex Rudimentis Anglicanis docebo ſexdecim eſſe pronomina: poſtea verò oſtendam tantùm eſſe quatuordecim, ídque ex regulis conſtructionis, vbi agitur de pronomine & denique ex alijs Scriptoribus probabo longè plura eſſe pronomina, quàm quæ hactenus vnquam recenſuimus.

Reſp. *Quod verbis tam audacter polliceris, re ipſa demùm ſi probaueris, virum te ſanè egregium præſtiteris.*

Sedecim pronomina.

Quæſt. Ad primum quod attinet, ſi mihi ad paucula quædam interrogata reſpondere dignaberis, vel te ipſo iudice, hoc ipſum euincam, Dic enim apertè, quot ſunt pronomina primæ declinationis?

Reſp. *Sunt tria tantùm, nempè, Ego, Tu, Sui*

Quæſt. Quot ſecundæ?

Reſp. *Hæc ſex: Ille, ipſe, iſte, hic, is & qui.*

Quæſt. Quot tertiæ?

Reſp. *Quinque. Meus, tuus, ſuus, noſter, & veſter.*

Quæſt. Benè ſe res habet. Quot tandem quartæ inflexionis:

Reſp. *Duo tantùm, noſtras & veſtras.*

Quæſt.

Quæſt. Proceſſiſti tu ſcilicet hodiè pulchrè. Nam ſi hæc rectè in digitis computaueris, inuenies numero eſſe ſedecim, videlicet tria primæ, ſex ſecundæ, quinque tertiæ, & duo quartæ, quæ efficiunt omninò ſexdecim. Sedecim eſſe pronomina.

Reſp. *Sed tu callidè & verſutè, in ſeriem & ordinem pronominum intruſiſti relatiuum qui, quæ, quod.*

Quæſt. Egóne quæſo intruſi? Vel non potius ipſa Grammatica inſeruit?

Reſp. *Fateor. Sed tamen ſunt reuera & propriè quindecim tantùm pronomina. Nam relatiuum qui, non eſt genuinum, ſed addititicium. Sic enim Grammatica tam Anglicana, quàm Latina loquitur. Pronomina ſunt quindecim, ego, tu, ſui, &c. quibus addi poſſunt ſua compoſita, Egomet, tute, idem, atque etiam qui, quæ, quod. Vides igitur quàm aptè hunc nodum ſoluat ipſa Grammatica. Proba ergo quod ſecundo loco in te ſuſcepiſti, nempè eſſe pauciora pronomina, quàm quindecim, hoc eſt, tantùm quatuordecim, idq́, (ſi probè memini) ex Latinis de pronominum Syntaxi regulis.* Solutio.

Quæſt. Nihil eſt factu facilius. Non enim te latere arbitror, huiuſmodi haberi regulam in pronominis conſtructione: Ipſe, ex pronomibus ſolùm trium perſonarum ſignificationem repræſentat. Obiectio. Regula Grammaticalis.

Reſp. *Quid hinc infers? Quis enim vnquam tibi hoc negauerit? Rotunda namque ſunt*

hæc

hæc verba, intellectúque longè facilima.

Quæst. Expende tamen illa propiùs & penitius, ne poſtea fortaſſis eadem reuocare & retractare cogare.

Reſp. *Nullum eſt huiuſmodi periculum. Nodum mihi videris in ſcirpo quærere, qui hinc vllam dubitandi occaſionem captare conaris.*

Quæſt. Audi (quæſo) paucis. Aliter namque ieſe res habet, quàm tu reris. Sic loquitur regula: Non, ipſe ex pronominibus, ſed ipſe ſolùm ex pronominibus trium perſonarum ſignificationem repræſentat.

Reſp. *Quid ſi ita loquatur? Parùm refert, Ipſéne ex pronominibus, vel Ipſe ſolùm ex pronominibus dicat.*

Quæſt. Itáne (quæſo)? Vox hæc (ſolùm) eſt excluſiua, docétque nullum præterea pronomen præter ipſe, trium perſonarum ſignificationem repræſentare.

Reſp. *Veriſſimum hoc eſſe concedo. Tu ſi potes, aliter ſe rem habere oſtende.*

Obiectio. *Quæſt.* Quid opus eſt vt ipſe hoc oſtendam (quod tamen facilè poſſum, quod & loco deinceps commodiore fortaſſe faciam), cum in proximè ſubſequentibus verbis ita ſcriptum reperiatur: Idem etiam omnibus perſonis iungi poteſt. Vel igitur Idem non erit pronomen, & ſic pauciora erunt pronomina: vel, non ſolùm (Ipſe) ex pronominibus trium

sum personarum significationem repræsentat.

Resp. *Dum sic disputas, non probas esse pauciora Pronomina quàm quindecim, sed potius plura.*

Quæst. Sive plura, sive pauciora probauero, Grammaticam falsitatis arguo. Sed si dederis quindecim solummodò esse pronomina, & in illorum numero computaueris hoc ipsum Idem: certè (Ipse) ex pronominibus solùm trium personarum significationem repræsentat, vel (Idem) tres personas non repræsentat, vel si repræsentat, non potest esse pronomen; quia ex Pronominibus Ipse solùm tres personas repræsentat. Pugnant enim hæc acerrimè inter sese, Ipse solùm repræsentat tres personas, &, Ipse solùm non repræsentat.

Resp. *Ego hunc verborum pugnam sic mihi posse videor dirimere, hæcq; inter sese sic reconciliare, & in gratiam denuò redigere, si hunc in modum regulam priorem explicauero. Ipse solùm ex Pronominibus, qua reuera & proprie sunt Pronomina, vel qua simplicia sunt Pronomina, trium personarum significationem repræsentat: Idem etiam tribus personis adiungi potest. Sed non est (Idem) simplex pronomen, sed compositum, nec naturale & genuinum pronomen, sed additiuum, sicut est antea à me dictum, & prius etiam ab alio ad eundem ferè modum responsum.* Solutio superioris obiectionis.

Quæst. Non prorsus à veritate videtur mihi tua sententia abhorrere: esto tamen de hac re

Quæ sequuntur ad finem vsque huius disputationis, in tertiâ editione addebantur.

aliorum iudicium. Sed quomodo hoc, salua Grammaticæ veritate tutaberis, quod iam demum mihi restat probandum, nempè numerum Pronominum longè esse ampliorem, quàm hactenus à pleriſque creditum sit, qui solùmmodò quindecim Pronomina esse statuunt, quod & tu quidem aliquoties es anteà fassus?

Resp. *Si quid protuleris audiuero, videbo quid respondebo.*

Quæst. Omissis Pronominum compositis (quorum numerus non est exiguus), omissis etiam adiectitijs quibusdam, quæ in Grammatica nostra exprimuntur, hæc præterea inter alia in Pronominum albo apud probatos authores video recenseri; med, ted, mîs, tîs, em & im, pro eum, eampse, quoi, ibus, & cætera apud priscos vbique obuia, de quibus & similibus quæ tua sit sententia perquàm libenter scire velim, vt hîc etiam habeant industrij Scholarum alumni quid respondere queant.

Obiectio. An, am, pro eam; im, pro eum; hibus pro his, &c.

Solutio.

Resp. *Qui seduli sunt in legendis antiquorum scriptis, multa (fateor) possunt huiusmodi obseruare, quæ suo sibi iure pro temporum illorum ratione vendicare poterunt. Sed alia nunc est ætas, aliusq; loquendi mos & consuetudo. Obseruent igitur illa pueri, sed (quod sæpiùs est ante annotatum) non imitentur, nisi granibus de causis, idque rarissimè.*

Quæst.

Quæst. Non video quid possit aptiùs responderi. Sed de his hactenus. Tempus enim iam me vocat ad alia, ne nimia prolixitate molestus esse videar. Est enim & alijs locus dandus, vt sua quoque proferant contra regulas Grammaticales argumenta, quibus excussis & examinatis, Grammaticæ veritas dilucidior & manifestior omnibus esse appareat.

DE VERBO DISPVTATIO.

Quæstio prima.

An vera sit Verbi definitio? 21

Quæst. Est mihi hoc tempore pomeridiano, & hoc de loco (viri clarissimi, vósque cæteri, qui adestis, auditores humanissimi) contra hunc aduersarium, quem me dudùm strenuè & acritèr oppugnantem audiuistis, non minùs fortitèr & animosè, pro virili mea decertandum, non ostentandæ alicuius vel eruditionis, vel eloquentiæ gratia, sed quia præceptori doctissimo, pro laudabili. Scholæ nostræ instituto mos omninò est gerendus. Atque hîc exempla præclara charissimorum condiscipulorum, qui priùs in hanc arenam disputaturi ascenderunt, me non parùm excitant: hortatur etiam huius scholæ consuetudo, quam ego & Præfatiuncula.

probo vehementèr, vt vtilitate fructuosam, & vt vsu necessariam seruare constitui, quantum mea quidem feret tenuitas ingenij. Meo enim me pede metiri didici, meúmque ingenium fateor esse longè tenuissimum, artem exiguam, eruditionem nullam. Est tamen parendum Maiorum dictis & præceptis, præsertim cùm magna sit vtilitas ad puerorum exacuenda ingenia in huiusmodi exercitationibus, & mutuis adinuicem concertatiunculis: Dabitis igitur mihi veniam, si quid fortè deliquero, maiorémq; voluntatis atque obedientiæ, quàm doctrinæ vel ingenij rationem habebitis. Vt vt autem desint vires, conatum tamen meum vobis in hoc exercitij genere placendi, non (vt opinor) improbabitis. Sed nolo vos pluribus verbis aut oratione longiore detinere. Te itaque (aduersarie) iam adoriar, cum quo (si placet) de Verbo, & eius attributis libentèr disceptare cupio.

Resp. *Accipio conditionem. Tam enim aberit, vt quicquam de Verbi præceptionum veritate hac ratione discedat, vt potiùs magis confirmentur quæcunq; de illo, illiusq; accidentibus in Grammatica Regia traduntur.*

Cicero. lib. 1. Officiorum.

Quæst. Omnis (inquit ille) quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputatur. Placet igitur à verbi definitione

ne

ne hanc disputationem ordiri, quàm, vtrum tu veram esse affirmes, velim vti clara voce pronuncies. Dic ergo quid sit verbum?

Resp. *Verbum est pars orationis, quæ modis & temporibus inflexa, esse aliquid, agere ue, aut pati significat. Quid habes quod in hac verbi definitione possis iure reprehendere?* Verbi definitio.

Quæst. Tam sunt multa, vt difficilius sit exitum, quàm initium inuenire. Quæram igitur in hoc tam amplo disputandi campo modum, potius quàm copiam.

Resp. *Quò plura protuleris, eò maiorem gratiam apud omnes studiosos adolescentes inibis, quos instructiores hoc pacto efficies ad aliorum obiectiones in simili argumento diluendas.* Obiectio prima.

Quæst. Sic itaque disputo. Multa reperiuntur verba, quæ nullius sunt partis orationis: falsa est igitur prior definitionis verbi pars, qua verbum definitur esse pars orationis. Verba quædam nullius partis orationis.

Resp. *Profer tu tale verbum, quod sit nullius partis orationis.*

Quæst. Nulla integra oratio est alicuius partis orationis: multa verba efficiunt per sese integram orationem: ergo multa verba sunt nullius partis orationis.

Resp. *Nullum (quod noui) verbum efficit per sese integram orationem.*

Quæst. Omnis integra propositio integram efficit orationem: multa verba efficiunt inte-

gram propoſitionem: ergo multa verba efficiunt integram orationem.

Reſp. *Eſt hæc diſputatio magis Dialecticorum, quàm Grammaticorum propria.*

Quæſt. Non tamen nocebit leuiuſculum horum guſtum præbuiſſe pueris.

Reſp. *Age ergo, eſtende huiuſmodi verba, quæ efficiant per ſeſe integram propoſitionem.*

Verba efficientia integram orationem.

Quæſt. Omnia ferè verba primæ vel ſecundæ perſonæ, vt ſcribo, pugno, diſputo, vnà cum verbis quoque tertiæ perſonæ, quoties certa perſona intelligitur, vt pluit, ningit, grandinat, Deus ſcilicet, vel natura, vel aliquid ſimile.

Reſp. *Huiuſmodi propoſitiones appellant dialectici implicitas, quæ in explicitas ſunt reſoluendæ, ſupplendo nominatiuum, & reſoluendo verbum in participium præſentis temporis cum verbo Sum, es, fui: hoc modo: Scribo, id eſt, ego ſum ſcribens; Pugno, ego ſum pugnans: Diſputo, ego ſum diſputans: Pluit, Deus eſt pluens, &c. Quod igitur huiuſmodi verba efficiant integram orationem, hoc non habent ex ſeſe, ſed per ſupplementum. Quare hoc aliquid, quod contra hanc definitionis verbi partem viſus es hactenùs dixiſſe, reuera nihil eſt. Non eſt enim verbum in huiuſmodi locutionibus integra oratio, ſed pars tantùm orationis, ſi non adhibeatur ſupplementum, ad eundem modum, quæ eſt paulò ſuperiùs expreſſum.*

Soluitio ſuperioris argumenti.

Quæſt.

Quæst. Dextrè admodùm & acutè hanc ſoluiſti obiectionem, quæ tamen primâ fronte nonnihil negotij facеſſere potuerat imperitioribus, quibus potiſſimùm in hoc opere inſeruio. Sed his omiſſis, ad alia aggredior.

Reſp. *Eſt nè quod preterea obijcias contra hanc verbi definitionem?*

Quæſt. Audies. Sequitur in definitione, verbum flecti modis & temporibus.

Reſp. *Fateor. Hoccine potis es infirmare?* Alia obiectio.

Quæſt. Neſcio. Conabor ſaltem, idq; primùm hac ratione. Cedo, age, agite, ſunt verba, nec tamen modis & temporibus inflectuntur: non eſt itaque difficile verba inuenire, quæ non inflectantur modis & temporibus.

Reſp. *Non ſunt hæ voces verba.*

Quæſt. Sic probo. Quicquid conficitur ex ſyllabis eſt verbum: hæc vocabula conficiuntur ex ſyllabis: ſunt igitur hæc vocabula verba.

Reſp. *Ridiculè. Adeon' ſum viſus tibi idoneus, quem tam apertè illudas dolis? Non potes mihi hac ratione imponere. Latet enim in hoc argumento fallacia à vocibus ad res. Loquar adhuc apertiùs. Hæc vox verbum, in propria & nuda ſignificatione accepta pro qualibet dictione ſyllabica, poteſt ſanè hiſce quoque dictionibus competere. Sed quatenus in hoc argumento capitur verbi vocabulum pro tertia orationis parte, quæ modis & temporibus inflexa, eſſe aliquid, agereue & pati ſignifi-* Solutio. Fallacia à vocibus ad res.

cat, nullo modo conuenit vocibus à te suprà citatis.

Quæst. Omissis igitur captiunculis & fallacijs agam iam aperte de re ipsa, quæ per verbi vocabulum significatur.

Resp. *Hoc sensu non sunt Cedo, age, agite, verba, sed aduerbia.*

Instantia. *Quæst.* Significant actionem: quid impedit itaque quò minus sint verba, & verba quidem imperandi modi?

Soluio. Resp. *Imò non sunt verba, neque significant actionem, aut sunt imperandi modi, sed duntaxat adhortandi aduerbia. Quod si hoc tibi darem, disputandi gratia, has scilicet dictiones significare actionem, non tamen inde sequeretur esse verba. In verbis enim præter agendi significationem, requiritur vt inflectantur modis & temporibus.*

Quæst. Atqui ego ostendam esse verba, quæ non inflectuntur modis & temporibus.

Resp. *Multa verbis polliceris, cum verò ad res perueniendum fuerit, nihil omninò præstare potes.*

Alia instantia. *Quæst.* Aue, faxo, quæso, num verba esse negaueris.

Resp. *Nullo modo.*

Quæst. At non inflectuntur modis & temporibus: falsum est igitur, quod prius affirmasti.

Resp. *Nunc illud tandem protulisti, quod veri speciem quandam præ se ferre videtur.*

Quæst. Præ se ferre verò ais: An non re ipsa verum

verum est, quod modò dixi?

Resp. *Esto. Specie tamen, non reuera verbi definitionem impugnat.*

Quæst. Quamobrem?

Resp. *Quia non disputas ad idem, vt loquuntur in scholis, hoc est, aliena sunt à proposito, quæ adfers. Datur enim illa verbi definitio de verbis integris & perfectis, & non de verbis mutilis & imperfectis.* Solutio.

Quæst. In callidiorem hominem non potuit vnquam quisquam incidisse, qui tam subdolis inuentis distinctionibus omnia solet eluere. Tentabo nihilominùs hac vice, si quid possim maioris momenti contra posteriorem definitionis verbi partem adferre, qua docetur omne verbum debere significare, vel esse, vel agere, vel pati.

Resp. *Nihil (vt video) in verbi definitione intentatum relinques. Sed quò maiori vi & impetu in eandem irrueris, eò firmius & solidius perstabunt illius fundamenta & structura.*

Quæst. Quàm verè hoc affirmâsti, mox patebit, vbi probauero, multa esse verba, quæ nec agere, nec pati significant.

Resp. *Hoc si probaueris, non parùm concussisse & labefactâsse videberis verbi fundamenta.*

Quæst. Quæ non habeant actiuam, vel passiuam significationem, illa verba nec agere, nec pati Obiectio tertia.

pati significant: sunt autem quædam verba, quæ nec actiuam, nec passiuam significationem habent: multa igitur verba nec agere, nec pati significant.

Resp. *Omnia verba vel agere, vel pati significant.*

Quæst. Nolo te vrgere illis, quæ possum de verbo substantiuo (Sum) & eiusdem compositis in medium proferre; quia illa omnia dubio procul excipies, tanquam ad primum diuisionis verbi membrum pertinentia, vbi statuebas esse quædam verba, quæ rei existentiam quandam significarent, non autem actionem, vel passionem. Nam illis exceptis, ostendam esse alia verba præterea, quæ nec agere, nec pati significent.

Resp. *Illud si potes, ostende.*

Verba neutra cur sic dicta.

Quæst. Omnia verba neutra sunt eiusmodi. Nam inde sortiuntur hanc neutrorum verborum appellationem, quòd nec habeant actiuam, nec passiuam significationem. Ac proinde nec agere, nec pati significant.

Solutio.

Resp. *Malè colligis. Non enim perhibentur verba neutra nec actiuam, nec passiuam significationem habere, sed non integrè induere formam actiuam, vel passiuam. Nullum enim (si bene memini) reperitur verbum neutrum, dempto Sum, cum compositis, cuius significatio non sit vel actiua, vel passiua.*

passiua. Forma autem eorundem nec est integrè actiua nec passiua. Quia in illis neutris in (o) *exeuntibus, quæ proximè ad actiuorum formam accedere videntur, hoc tamen discriminis inter illa & verba actiua videre licet, quòd actiua in* (o) *passiuum in* (or) *formare possunt: neutra verò in* (o) *passiuum in* (or) *formare nequeunt. In illis verò neutris, quæ passiuæ formæ reperiuntur, in hoc tamen differunt à passiuis, quòd non plenè & integrè formantur, sed reperiuntur in voce tertiæ personæ singularis tantummodò, per omnes modos & tempora, sùntque semper impersonalia.*

Quæst. Rectè hoc obseruâsti. Sed nihil habes præterea propter Iuniores annotatione dignum in his neutris impersonalibus passiuæ formæ?

Obseruatiuncula.

Resp. *Est illud insuper obseruandum, esse ferè omnia verba neutralia formæ passiuæ significatione actiua, tametsi terminatione sunt passiua.*

Quæst. Omnes definitionis verbi partes ordine iam percurrimus, tractanda restant alia nonnulla verbi accidentia

QVAESTIO.

QVAESTIO SECVNDA DE verborum generibus, modis & temporibus.

QVAESTIO.

22 *An vera ſint, quæ habentur in Grammatica de generibus, modis, & temporibus verborum?*

Præfatiuncula. *QVæſt.* Dum altiùs apud animum meum perpendo (auditores optimi) quanta cum humanitate, benignitate, & æquitate audire ſoletis leuiuſculas haſce de rebus Grammaticalibus velitationes, eò faciliùs adducor, vt & ipſe virium mearum periculum faciam, ſi quid proferre poſſim in hac propoſita quæſtione de generibus, modis, & temporibus verborum, quo firmius conſtet regularum de his traditarum veritas. Quæro igitur quot tradantur eſſe verborum genera in Grammatica?

Reſp. *Actiuum, paſſiuum, neutrum, deponens, & commune.*

Quæſt. Tu verò nec plura, nec pauciora eſſe arbitraris?

Reſp. *Sic ſtatuo.*

Quæſt. Quid ſi euincam duo eſſe ſolummodò verborum genera?

Reſp. *Quid ſi ad illos redeam, qui dicunt, quid*

ſi

si cœlum ruat?

Quæst. Putas ergo hoc esse probatu impossibile?

Resp. *Mea sic est sententia, præsertim cum apud animum meum perpendo, quàm tu sis impar ad hoc præstandum.*

Quæst. Noli quæso tam abiectè de me sentire.

Resp. *Omitte verba inania: expecto argumenta.*

Quæst. Accipe. Omne verbum aut est personale, aut impersonale: ergo duo sunt tantum verborum genera, non autem quinque: Responde. Obiectio de genere verborum.

Resp. *Negari non potest, nullum posse reperiri verbum, quod non sit vel personale, vel impersonale. Est autem hæc generalis verbi partitio, qua tam abest vt tollantur quinq; verborum genera, vt potius hac ratione magis confirmentur.* Solutio.

Quæst. Quid est demùm quod à me adferri possit, quod idem (si tu sis iudex) pro te non faciat?

Resp. *Si tibi minus arriserit prior solutio, vide num hanc alteram magis probare possis. Diuidatur, si voles, verbum primò generaliter in duo genera, personale scilicet, & impersonale. Distribuamus postea hæc genera in suas species, ita vt si tibi minus placeat ista verborum personalium in quinque genera diuisio, dicamus verborum personali-* Alia solutio.

um

um esse quinque species.

Confunduntur hæ voces genus & species apud Grammaticos

Quæst. Nolo scrupulosiùs more Dialecticorum de hisce vocabulis generum & specierum contendere, quæ probè scio sæpe apud Grammaticos confundi, ita vt alterum pro altero interdum capiatur. Sed quomodocunque accipias, quintuplicem hanc verborum personalium distinctionem constare non posse affirmo.

Resp. *Tu ais, ego rursus nego: non verbis, sed argumentis (quæso) pugnemus.*

Quæst. Si quæras tantoperè argumenta, ego te statim premam argumentorum multitudine.

Resp. *Premas licèt, modò non opprimas.*

Allatio.

Quæst. Omne verbum exit vel in *o*, vel in *m*, vel in *or*: tria sunt igitur, non quinq; verborum genera, vel (si mauis) species.

Resp. *Nisiláne sunt verba, quæ desinunt in* (t) *vel in* (r)?

Quæst. Non decet te nugas agere. Ego non loquor de impersonalibus vel actiuæ vel passiuæ formæ, sed de primarum personarum terminationibus, vnde reliquarum personarum fines deriuantur.

Resp. *Nego itaq; argumentum. Non enim sequitur, quia tres sunt omnium verborum originales terminationes tantùm in primis personis, esse tantùm tria verborum genera. Imò si verbum*

(*Sum*)

(Sum) excipias, duæ sunt omnium verborum terminationes. Quis tamen inde concluserit, duo esse solùm verborum genera?

Quæst. Si quinque verborum genera sub hisce duabus terminationibus continentur, expone qua ratione inuicèm inter sese distinguantur.

Resp. *Libens hunc laborem suscipiam, licèt non ita propriè huic causæ conueniat: quò tenellorum ingeniorum excitem industriam. Verba actiua & neutra conueniunt terminatione, exeunt enim vtraque in* (o), *sed differunt significatione. Quia significant verba actiua, actiuè tantùm: neutra verò aliquando actiuè, aliquando verò passiuè. Reliqua genera omnia desinunt communiter in* (or). *Conueniunt igitur verba passiua, deponentia, & communia terminatione, discrepant verò à se inuicèm significatione.* Verba terminatione conuenientia, quo modo differant.

Quæst. Ostende singulorum discrepantiam.

Resp. *Verbum passiuum & deponens terminatione conuenientia, sic differunt significatione, vt verbum passiuum semper significet passiuè, verbum deponens significet aliquando actiuè, aliquando neutraliter. Differt autem verbum commune ab vtroque, vt habeat & actiuam & passiuam significationem.* Verbum passiuum & verbum deponens. Verbum commune.

Quæst. Sed nulla sunt verba communia: ergo non sunt quinq;, sed quatuor duntaxat verborum personalium genera. Obiectio.

Resp.

Solutio.

Resp. *Scio viros quosdam doctos tecum sentire, Ego tamen Grammaticæ Regiæ authoritatem potius*

Pauca admodum verba communia nunc in vsu.

*sequendam arbitror, tametsi non negauerim longè nunc pauciora esse in vsu verba communia, quàm olim apud priscos Grammaticos. Non enim facilè præter hæc tria verba, criminor, frustror, oscular, reperies alia quæ actiuè & passiuè significent. Multa tamen passim obuia reperiuntur verborum deponentium præteriti temporis participia in significatione passiua, quædam etiam actiuè & passiuè significantia. Vnde facilis est coniectura, quæ nunc deponentia sunt verba, olim fuisse ferè communia.**

Complexus meditatus, interpretatus, comitatus.

Quæ sequuntur ad hunc asteriscum in tertiâ editione addebantur.

*Hoc etiam addo (quod diligentissimè velim pueros industrios animaduertere) innumera ferè esse verba, quæ nos hodiè pro deponentibus tantùm vsurpamus, quæ satis liquidò constat veteres scriptores per vocem actiuam frequenter extulisse, quorum catalogum satis amplum, nos (Deo volente & adiuuante) in minus exercitatorum commodum & emolumentum, ad calcem harum disputatiunculariū apponemus, vt illorum operam & laborem leuemus, quibus non sunt ad manum, ipsorum authorum libri, vnde hæc depromuntur & colliguntur.**

Quæst. Conuertamus (nunc si placet) sermonem ad illa examinanda, quæ de modis verborum docentur in Grammatica.

De modis verborum.

Resp. *Non recuso. Sunt enim illa omnia ita certa & firma, vt à te non facilè possint labefactari.*

Quæst.

Quæst. Neſcis qui vir ſiem. Sunt illa fortaſſis quæ nunc obijciam maioris ponderis, quàm quæ hactenus ſunt prolata. Sex perhibentur eſſe verborum modi.

Reſp. *Scilicet.*

Quæſt. Plurimorum, an paucorum? omnium, an aliquorum verborum ſunt hi ſex modi communes?

Reſp. *Omnia verba habent ſex modos.*

Quæſt. Verbum (inſit) quot habet (quæſo) modos? Obiectio

Reſp. *Cùm dico omnia verba habere ſex modos, loquor de verbis perfectis, non autem de verbis imperfectis ſiue defectiuis. Verùm vt ſimul & ſemel tibi de verbis defectiuis reſpondeam (hiſce enim mihi iam aliquoties nonnihil moleſtiæ volùiſti exhibere), non eſſe illorum naturæ ſed vſui, & receptæ loquendi conſuetudini tribuendum cenſeo, quòd non integrè, quemadmodum reliqua perfecta, inclinentur. Hoc eſt, poſſent naturâ ſuâ (ſi vſus modò pateretur) per omnes modos, tempora, & perſonas variari, non aliter quàm verba perfecta.* Solutio. Obſeruatio de verbis defectiuis.

Quæſt. Vt hæc, quæ iam dixiſti, vera eſſe concedam, quid inde tamen redire poteſt vtilitatis ad verborum perfectorum cauſam ſubleuandam, in quibus non eſſe ſex modos probare conabor?

Reſp. *Quia de defectiuis, de quibus non eſt intelligenda quæſtio mea, ſophiſticè obijciebas, volùi*

tibi ſemel os in hoc argumento obſtruere. Quod verò de verbis perfectis affirmas, nego vlla reperiri, quæ non omnes ſex modos habent.

Alia obſ. de verborum perfectorum modis.

Quæſt. Modi verborum ſunt quatuor ſolummodò, nempè indicatiuus, imperatiuus, optatiuus, infinitiuus.

Reſp. *Quid fiet ergo de potentiali, & ſubiunctiuo?*

Quæſt. Vel non erunt modi omninò, vel ſaltem ſuperuacanei.

Reſp. *Hoc proba.*

Quæſt. Poſſunt verba perfecta integrè ſine hiſce modis formari, qui ab optatiuo, ne minimo quidem apiculo (ſi inflectendi rationem ſpectes) differunt.

Reſp. *Eſto, Non ſunt tamen hi modi ſuperflui, & ſuperuacanei.*

Quæſt. Quod fruſtrà additur, illud meritò ſuperuacaneum eſſe dicitur: fruſtrà verò adduntur potentialis & ſubiunctiuus, cùm nihil omnino differant ab optatiuo: ſunt itaque potentialis & ſubiunctiuus ſuperuacanei.

Reſp. *Non fruſtrà adduntur potentialis & ſubiunctiuus.*

Quæſt. Fruſtrà fit per plura, quod fieri poteſt per paucioa. Poteſt autem integra & perfecta eſſe verborum formatio ſine potentiali, & ſubiunctiuo (ad horum enim formam nihil prorſus addunt hi modi), ergo fruſtranea eſt horum

horum modorum adiectio.

Solutio superioris obiectionis.

Resp. *Respondeo hoc modo. Si ipsam formandi & inclinandi nudam formam & rationem, quoad verborum voces per finales terminationes variandas respicias, fateor sanè nihil omninò differre potentialem & subiunctiuum ab optatiuo. Sed si verborum significationem (cuius est pueris ad rectam aut horum interpretationem magna habenda ratio) consideres, est etiam necessarius admodum horum modorum vsus, qui tametsi terminatione cum optatiuo consentiant, sensu tamen & significatione longè ab eodem discrepant.*

Significationis non autem formationis ratione, necessarius est vsus modorũ potentialis & subiunctiui.

Quæst. Omnibus mihi modis approbanda videtur hæc tua responsio, qua contentus, de verborum temporibus pauca adijciam.

De verborum temporibus.

Resp. *Sunt illa in verbis perfectis quinque numero: nempè præsens, imperfectum, perfectum, plusquam perfectum, & futurum.*

Quæst. Cur facis verborum perfectorum hoc loco mentionem?

Resp. *Ne tu (more solito) ad verba defectiua statim recurreres, quæ vt modis, ita etiam temporibus mutila & manca esse concedo, non naturæ vitio, sed recepta loquendi consuetudine.*

Quæst. Quos mihi præscribis disputandi cancellos, licèt reuera valdè arctos & strictos non prætergrediar, sed intra verborum perfectorum claustra, atque adeò castra me continebo, quorum tria esse tempora probabo.

Resp, *Ego hoc te fasce leuabo. Non enim sinam, vt hunc laborem frustrà suscipias. Nam facilè concedam tria esse verborum tempora, quippe qui priùs quinque esse in verbis tempora affirmauerim.*

Quæst. Tu ergo tibi ipsi non constas, qui modò ais, modò negas.

Resp. *Qui quinque dicit esse verborum tempora, illiusmne verisimile est negare velle tria esse in verbis tempora?*

Quæst. Mitte verborum, quibus abundas, ambages, breuitérque responde, num tria tantummodò dicas esse verborum tempora?

Resp. *Hoc ego non affirmo.*

Obiectio de verborũ temporibus.

Quæst. At ego hoc in me probandum suscepi, id quod hac ratione demonstro. Si quinque sunt verborum tempora, tunc omne tempus non est, vel præsens, vel præteritum, vel futurum: sed omne tempus, vel est præsens, vel præterit, vel futurum: ergo tria sunt, non quinque verborum tempora.

Resp. *Tamsi mihi non valdè firma videatur esse maioris consecutio, nego tamen minorem, vbi affirmas omne tempus esse, vel præsens, vel perfectum, vel futurum.*

Quæst. Qua ratione adductus hoc facis?

Resp. *Quia est tempus quoddam imperfectum, quoddam verò plusquam perfectum, quorum hoc rem diu ante, illud verò paulò ante præteritam demonstrat.*

Quæst.

Quæst. Vtrumque tempus rem præteritam demonſtrat. Parum ergo refert, paulóne ante, an diu antea præterierit. Hac enim ſolutione, temporis in præſens, perfectum, & futurum diuiſionem non tollis.

Reſp. *Poſſum itaque alià ratione præcedentis obiectionis vim euertere.*

Quæſt. Hoc ſi potes, verbo expedi.

Reſp. *Fiet. Dico igitur aliter Philoſophos, aliter verò Grammaticos loqui de tempore. Philoſophi enim rerum naturas, & veritatem propiùs intuendo, omne tempus in præſens, præteritum, vel futurum diuidunt, propterea quod ſi verè & præcisè loqui velimus de tempore, illud vel iam eſt, vel fuit, vel futurum eſt. Grammatici autem, qui non tam exactè & ſcrupulosè rerum naturas penſitare ſolent, linguam potius ad loquendum, quàm mentem de natura & veritate rerum inſtruentes, quinque (docendi gratiâ) verborum Latinorum tempora finxerunt. Et apud Græcos (quod probè noſti) longè ſunt plura verborum tempora, nouem videlicet, non ſecundùm rei veritatem, ſed ſecundùm Græca lingua vſum & propietatem.* Solutio. Grammatici Latini. Græci.

Quæſt. Hoc tu vocas verbo reſpondere?

Reſp. *Veniam mihi dabunt æqui lectores, ſi hæc aliquando verboſius propter iuniores ſim proſecutus. Mallem enim perſpicuitatis cauſa fuiſſe, quàm obſcurior videri.*

Quæſt. Tua in reſpondendo prolixitas, eó

me faciet in disputando breuiorem: relicta ergo hac quæstione, de verborum coniugationibus paucis agamus.

DISPVTATIO DE VERBORVM Coniugationibus.

QVAESTIO.

23 *An quatuor sint verborum coniugationes, ad quarum aliquam nullum sit verbum, quod non referri possit?*

Præfatiuncula. QVæst. Cùm sit deinceps inter nos concertandum de verborum coniugationibus, in quibus examinandis & discutiendis amplissima offertur disputandi materia, multáque occurrent quàm diligentissimâ obseruatione dignissima, nos illa potissimùm examinabimus, quæ maioris mòmenti esse videbuntur. Non ergo grauaberis (vt multa paucis complectamur), quid voces verborum coniugationem, breuiter exponere?

Coniugatio quid? Resp. *Coniugatio est apta verborum variatio, per finales terminationes tam numero singulari, quàm plurali, in omnibus personis, modis & temporibus.*

Quæst. Vnde dicitur coniugatio?

Resp. *A coniugando. Quia vnâ, eádemq; ratione*

tione inflexionis, quasi in eodem iugo plura verba coniunguntur.

Quæst. Verùm hac ratione multa verba à coniugationum numero excluseris. Instantia

Resp. *Quî sic?*

Quæst. Propterea quòd multa sunt verba, quæ non omninò coniugantur, ac proinde nullius poterunt esse coniugationis.

Resp. *Qua ratione hoc ostendis?*

Quæst. Ex tuis ipsius verbis hoc ipsum ad hunc modum colligo. Nam si coniugare sit verbum à terminatione in terminationem aptè variare per omnes numeros, personas, modos & tempora: & reperiantur nulla verba, quæ careant omnibus ferè modis & temporibus: consequitur necessariò, multa esse verba, quæ ad nullam coniugationem possint referri. Multa verba nullius coniugationis.

Resp. *Non loquor de verbis defectiuis, de quibus est tibi à me in superioribus responsum, quæ à coniugationum numero excludit, non illorum natura, sed usu iam recepta loquendi consuetudo.* Solutio.

Quæst. Excludantur (quoniam ita vis) verba defectiua ab hac quæstione tua, intelligatúrque de verbis duntaxat perfectis.

Resp. *Imò de illis, & non de aliis est omninò intelligenda.*

Quæst. At multa sunt verba perfecta, quæ sunt nullius coniugationis. Est itaque posterior tuæ quæstionis pars (à qua mihi complacuit Alia instantia.

primùm exordiri, quò liberior esset de quatuor coniugationibus disputandi copia) nullo modo vera, in qua dicis nullum esse verbum, quod non possit ad aliquam quatuor coniugationum referri.

Resp. *Quæ sunt illa verba perfecta, quæ ad nullam coniugationem referuntur?*

Quæst. Possum, volo, malo, sum, cum compositis, edo, fio, fero, & similia.

Resp. *Sunt hæc verba anomala, & heteroclita, sine irregularia.*

Quæst. Sunt tamen verba integra & perfecta, de quibus, si sit hæc quæstio intelligenda (quemadmodum antea fassus es); cur non sunt ad aliquam quatuor coniugationum referenda?

Resp. *Memini me dicere, quæstionem hanc esse intelligendam de verbis perfectis: non tamen audiisti me hactenus affirmantem, omnia verba perfecta ad aliquam quatuor coniugationum referri.*

Quæst. Tam mihi videris inconstans, vt mihi planè non constet quid ferè vel neges, vel affirmes. Si quando enim obiectione de verbis defectiuis, quæstionis tuæ veritatem oppugnare conor, statim exclamas, de verbis perfectis esse illam intelligendam. Vbi verò ostendo multa esse verba perfecta, quæ nullius sunt coniugationis, hic etiam mox vociferaris, esse illa anomala & heteroclita. Ita vt quò me vertam omnino sim incertus.

Resp.

Resp. *Vt igitur planè & plenè constet quid in hac causa sentiam: verbis quàm potero maximè perspicuis affirmo, omnia verba perfecta & regularia pertinere ad vnam aliquam quatuor coniugationum.* Solutio.

Quæst. Nihil iam (vt inquit ille) circuitione vsus es. Quare cum iam satis inter nos conueniat de propositæ quæstionis mente & sensu, vnico contra eandem prolato argumento acquiescam, posteà de coniugationum numero & notis, quibus à se inuicem distinguuntur, disputaturus. Verba perfecta & regularia.

Resp. *Vnicum illud tandẽ argumentum audiamus.*

Quæst. Si omne verbum perfectum & regulare ad vnam aliquam quatuor coniugationum pertineat & referatur, potest & verbum *do* vna cum quibusdam compositis illius ad aliquam quatuor cõiugationũ referri: sed verbũ *do* cum nonnullis ab eodem compositis, nullius est cõiugationis: ergo quædam verba perfecta & regularia (non enim opinor negabis verbum (*do*) & quædam illius composita esse huiusmodi) ad nullam quatuor coniugationum referuntur. Alia obiectio. Verbum *do* cum compositis quibusdam.

Resp. *Refertur ad vnam aliquam quatuor coniugationum. Est enim ipsum verbum* (dõ) *cum quibusdam illius compositis, nempe circundo, pessundo, secundo, primæ coniugationis: cætera ferè composita sunt tertiæ.* Solutio.

Quæst. Omnia verba primæ coniugationis habent (*a*) longum ante (*re*) vel (*ri*) vltimam Instantia.

syllabam

syllabam infinitiui : *do* verò cum compositis, non habet (*a*) longum, sed breue ante vltimam infinitiui, ergo non est primæ coniugationis.

Exempla apud Virgilium, & alios sunt passim obuia.

Solutio.

Resp. *Non est negandum verbum* do, *cum paucis ab illo compositis, corripere penultimam infinitiui, & tamen esse nihilominùs primæ coniugationis. Excipitur enim ab alys omnibus ferè Scriptoribus vno consensu.*

Quæst. Cur non etiam in nostra Grammatica exciperetur?

Resp. *Quia vnicum erat exemplum, non erat magnopere de illo solicitus Grammaticæ nostræ author, quicunque demùm ille fuerit. Vno enim aut altero exemplo non tollitur regulæ generalis veritas.*

Obiectio de numero coniugationum.

Quæst. Iam tempus est, vt de coniugationum numero disceptemus. Tu quatuor verborum coniugationes esse affirmas, ego autem vnam esse solummodò probabo.

Resp. *Nunquam potes hoc firma aliqua ratione euincere.*

Quæst. Firma satis esse mihi videbitur, si vim illius nequeas infringere.

Resp. *Qui sint rationis istius nerui, & quàm validi, tunc demùm liquebit, cum illam in medium protuleris.*

Quæst. Profero. Arrige aures Pamphile.

Resp. *In hoc sum iamdudum, propone.*

Quæst.

Quæst. Quæ est nota primæ coniugationis.

Resp. A *longum ante* re *&* ris.

Quæst. Súntne omnia verba habentia *a* longum ante *re* & *ris* primæ coniugationis? Nota primæ coniugationis.

Resp. *Sic.*

Quæst. Relinquitur ergo nullum verbum, quod ad tres reliquas coniugationes referatur?

Resp. *Quid ita?*

Quæst. Quia omnia verba reliquarum coniugationum habent *a* longum ante *re* & *ris.*

Resp. *Non habent.*

Quæst. A doceor est docearis, vel doceare: à legor, legaris vel legare: ab audior, audiaris vel audiare: sunt itaque omnia primæ coniugationis.

Resp. *In quo modo ita terminantur?*

Quæst. Tu videris. Ego ostendo omnia verba habere *a* longum ante *re* & *ris*, quod satis est.

Resp. *Non satis est ad probandum verbum aliquod esse primæ coniugationis, si habeat* a *longum ante* re *&* ris.

Quæst. Negas itaque Grammaticam.

Resp. *Nil minus.*

Quæst. Audi (quæso) manifesta regulæ verba: Prima coniugatio habet *a* longum ante *re* & *ris.*

Resp. *Agnosco verba, quæ tu subdolè & vafrè pervertis, & ad sensum alienum deterques.*

Quæst.

Quæst. Illis nihil addo vel detraho. Tu, si potes, meliorem ex illis sensum eruito.

Solutio. Facilis explanatio regularum de notis quatuor coniugationum.

Resp. *Faciam. Omnia verba perfecta & regularia, quæ habent a longum ante* re *&* ris, *hoc est, ante vltimã syllabã præsentis temporis infinitiui modi formæ actiuæ: vel ante* ris *vltimã syllabã secundæ personæ præsentis singularis indicatiui, formæ passiuæ, sunt primæ coniugationis, Atq; eodẽ modo sunt reliquæ regulæ de notis triũ aliarũ cõiugationũ per vocales penultimas ãte* re *&* ris *intelligẽdæ & explanãdæ.*

Quæst. Cur addis hæc vocabula (formæ actiuæ & passiuæ) potiùs quàm vocis actiuæ & passiuæ?

Obseruatiuncula.

Resp. *Quia multa sunt verba neutra, quæ non sunt actiua, & tamen inter coniugandum sequuntur formam actiuorum: multa item verba deponentia & communia, quæ licèt non sunt passiua, dum inflectuntur tamen, sequuntur formam passiuorum.*

Quæst. Bene. Ex his iam licet statuere omnia verba primæ coniugationis habere *a* longũ in penultima infinitiui. Sed quare erat hoc addendum de vocabulis *a, e,* & *i* ante *ris*?

Resp. *Ob verba deponentia & communia quæ carent formâ actiuâ.*

Quæst. Sed ad illud priùs redeo de verbis primæ coniugationis, quæ omnia dicis habere *a* longum in penultima infinitiui formæ actiuæ.

Re. *Si verbũ* do *cũ nõnullis ab eodẽ comp. excipias.*

Obiectio lauo, lauere.

Quæst. Verbum lauo facit infinitiuum lauere, per *e* breue in penultima infinitiui: ergo omnia

omnia verba primæ coniugationis non habent *a* longum in penultima infinitiui.

Resp. *Infinitiuum lauere non est à lauo, lauas prima, sed à lauo, lauis, tertiæ coniugationis apud antiquos, cuius exempla ex Virgilio in libris Georg. & Æneidum aliquoties occurrunt.* Solutio.

Quæst. Sed & secundæ coniugationis verba quædam habent contra regulam *e* breue in penultima infinitiui, cuiusmodi sunt, stridere, cauere, feruere & similia, penultima breui.

Resp. *Sunt etiam hæc prisca & obsoleta, notanda potiùs, quàm imitanda. Fuerunt enim hæc & nonnulla alia, tertiæ coniugat. apud veteres. Atq; hæc responsio omnibus aliis satis facere potest, quæ de simil. verbis tertiæ vel quartæ coniugationis adferri possũt.* Generalis responsio de omnibus antiquis & obsoletis.

Quæst. Verbum *do* facit penultimam infinitiui per *e* breue, nec est hoc verbum priscum, antiquum vel obsoletum: ergo omnia verba primæ coniugationis non habent *a* longum in penultima infinitiui. Vel si mauis, sic potiùs concludam, ad idem enim ferè recidet: verbum *do, das*, est tertiæ coniugationis: sed facit penultimam infinitui in *are*: ergo omnia verba tertiæ coniugationis non faciunt penultimã infinitiui per *e* breue. Instantia.

Resp. *Verbum* do *non est tertiæ coniugationis.*

Quæst. Affirmat tamen hoc Grammatica.

Resp. *Quo in loco?*

Quæst. In regulis de compositorum verborum præteriti formatione.

Resp.

Resp. *Citato verba. Nam tibi hoc ipsum affirmanti nulla est apud me fides, qui toties, vel regularum verba mutilas, vel in sensum contrarium detorquere soles.*

Regula.

Quæst. Agam sincerè. Sic sese habent regulæ verba: Natum à *do* quando est inflexio tertia. Nónne audis verbum *do* esse aliquando tertiæ coniugationis?

Resp. *Audio hominem versutum & callidum, qui in hoc, manibus pedibúsq; incumbit totus, vt simplices & rudes deludat dolis.*

Quæst. Itanè videor tibi hoc loco dolosè egisse?

Resp. *Si bona fide agebas, cur verba sequentia supprimebas?*

Quæst. Non faciebant ad hoc institutum.

Explicatur regula supra citata.

Resp. *Credo. Nam si regulam integrè recitâsses, mox tua fraus omnibus patuisset. Non est enim hæc mens regulæ, vt statuat verbum* do *esse tertiæ coniugationis, sed vt doceat natum, hoc est, compositum à* do; *quando (non illud verbum* do, *quod tu astutè inferre volebas, sed) illud natum vel compositum est tertiæ coniugationis (quædam enim composita à* do *sunt primæ coniugationis, vti supra est demonstratum), facere præteritum* didi *non* dedi, *vt addo, addidi; obdo, obdidi; credo, credidi: non autem addedi, obdedi, crededi, & similia.*

Credo, sitne compositum vel simplex.

Quæst. Refértne verbum credo inter composita à *do*, cum potiùs videatur esse verbum simplex.

ſimplex, cuius compoſita ſunt accredo & concredo?

Reſp. *Sítne credo, ſimplex, vel compoſitum, non magnoperè cum quoquam contenderim, cùm ſciam Lexiographos vndiquaq; doctiſſimos illud pro verbo ſimplice habere & numerare. Defenditamen poteſt Grammaticæ noſtræ authoritas ſuffragio Priſciani, Grammatici doctiſſimi & vetuſtiſſimi, qui verbum (credo) inter compoſita à verbo* do *recenſet, dictúmque putat credo, quaſi certum* do, *vt videatur à certum, & do compoſitum.* Priſcianus

Quæſt. Quæ hactenùs contra verbi definitionem & reliqua eiuſdem attributa obieci, tu quidem ſatis acutè & aptè dilüiſti omnia. Cedamus ergo iam alijs, ſi quid illi vlterius in hoc argumento fortaſſe obiectare voluerint.

VLTERIVS DE VERBORVM coniugationibus paulò alitèr *quàm ſuperiùs diſputatur.*

Quæſtio prima.

An quatuor ſint tantùm verborum coniugationes? 24

QVæſt. Cum ſint non pauca, quibus ego veritatem illarum regularum, quæ habentur in Grammatica de verbo & eius accidentibus Præfatiuncula.

dentibus conuellere & confringere facilè mihi posse videor: habenda tamen est ratio & temporis, & ornatissimorum, qui hodiè huc confluxerunt, Auditorum; quibus nimia prolixitate molestum esse, parùm ciuile & honestum meritò censeri debet. Agam igitur tecum breuiter de verborum coniugationibus, quas Grammatica nostra quatuor omnino esse tradit, cui, num tu assentiaris, libenter scire abs te velim.

Resp. *Affirmo cum Grammatica quatuor esse tantùm verborum coniugationes.*

Quæst. Quomodo distinguuntur hæ coniugationes à se inuicèm?

Coniugationum indices literæ, seu vocales.

Resp. *Prima habet* a *longum ante* re *&* ris: *secunda* e *longum: tertia* e *breue: quarta* i *longum.*

Quæst. Sŭntne hæ regulæ vniuersales & semper veræ?

Resp. *Maximè.*

Quæst. Omnia ergo verba primæ coniugationis habent *a* longum ante *re* & *ris*?

Resp. *Ita sanè.*

Obiectio.

Quæst. Cuius igitur coniugationis est verbum *do*?

Resp. *Est primæ coniugationis.*

Quæst. Non habet *a* longum ante *re* & *ris*: ergo non est primæ coniugationis.

Resp. *Quomodo probas?*

Quæst.

Quæst. Sic loquitur Virgilius in primo Æneidos:

Iuppiter (hospitibus nam te dare iura loquuntur)

Resp. *Vna hirundo non facit ver: nec vnum exemplum infringit generalis regulæ veritatem.*

Quæst. Imò quotiescunq; vtitur hoc verbo Virgilius (vtitur autem sæpissimè), semper corripit infiniti penultimam. Atque hoc ausim de omnibus alijs Poëtis sine vlla prorsus exceptione affirmare, apud quos verbi huius infinitum reperitur. A, in dare semper corripitur.

Resp. *Est igitur excipiendum hoc infinitiuum à regula generali.* Solutio.

Quæst. Modò tamen affirmabas vniuersalem esse hanc regulam.

Resp. *Nulla ferè est regula tam generalis, quæ nullam admittat exceptionem.*

Quæst. Sed cur non excipitur in Grammatica?

Resp. *Quamuis non excipiatur in regulis Anglicanis, expressè tamen excipitur in regulis Latinis de quantitate mediarum syllabarum, vbi habetur* a *indicem primæ coniugationis naturâ longam esse, præterquàm in* do *& eius compositis, quando sunt primæ coniugationis.* Nota.

Quæst. Placet hæc tua responsio. Sed agam adhuc alia ratione. Verbum *Do*, inquis, cum quibusdam ab illo compositis, vt circundo, pessundo, habere *a* breue ante *re*. Quid autem

ſtatuendum eſt de omnibus alijs verbis primæ coniugationis? Habéntne omnia illa ſine vlla exceptione *a* longum ante *re*?

Reſp. *Affirmo omnia alia verba primæ coniugationis, penultimam infinitui producere.*

Quæſt. Caue ne quid temerè tibi excidat, cuius te poſtea pœniteat. Cogita (quæſo) paulò diligentiùs quid reſpondeas.

Reſp. *Inanis eſt hic tuus timor. Ego facilè quod dixi tutari poſſum.*

Obiectio. *Quæſt.* Dic ergo cuius ſit coniugationis verbum Lauo?

Reſp. *Eſt ſcilicet primæ coniugationis, & ponitur inter illa exempla, quæ ad hanc coniugationem referuntur, in regulis de verborum præteritis, quarum initium hoc eſſe bene nôſti: As in præſenti, &c.*

Quæſt. Quod das accipio, & ſic contra te inſurgo: verbum lauo eſt primæ coniugationis quemadmodum & traditur in Grammatica, & tu modò probè teſtatus es: ſed lauo facit infinitiuum lauĕre, per *e* breue, penultimâ correptâ: ergo non eſt verum, quòd prima coniugatio ſemper facit infinitiuum in *are*, penultimâ productâ.

Reſp. *Non facit hoc verbum lauo infinitiuum lauĕre, penultima correpta. Oſtende (quæſo) huiuſmodi infinitiuum ab hoc verbo (Lauo) & eris mihi magnus Apollo.*

Quæſt.

Quæst. Ita affirmat Deſpauterius, ita etiam & alij non ſpernẽdæ authoritatis Grammatici, tametſi nullum citent locum, vbi expreſſè ponatur hoc infinitiuum lauĕre, penultimá correptâ. Verùm ego hoc ipſum euincam ratione validiſſima. Deſpauterius.

Reſp. *Audiamus (quæſo) quàm tu ſtrenuè hoc præſtare poſſis.*

Quæſt. Multis reperimus apud Virgilium locis lauit, & lauimus; vnde ſumi coniectura facilè poteſt, debere hoc verbum lauo facere in infinitiuo lauĕre, penultima breui.

Reſp. *Non eſt hoc omninò neceſſe. Nôſti enim lauo, lauas, facere laui in præterito, vnde lauit, & lauimus.*

Quæſt. Parùm facit pro te hæc reſponſio. Nam laui & lauimus, à lauo, lauas, habent primam longam, cum in prioribus à me allatis exemplis corripiatur prima ſyllaba.

Reſp. *Mirabar quò tu me hiſce tam longis verborum ambagibus circumduceres. Iam autem tandem video te omnia aſtutè & callidè agere, mihiq́, nec tale quicquam ſuſpicanti, voluiſſe imponere; dum pro lauo, lauas, primæ, obtrudere conaris lauo, lauis, tertiæ coniugationis.* Solutio obiectionis de lauo.

Quæſt. Multa reuera ſunt verba apud veteres, quæ etiam commemorat Nonius (teſtante doctiſſimo Gifannio), quæ & primæ & tertiæ ſunt coniugationis, ex quo genere ſunt & hæc Nonius.

Festus. apud Festum minus nota vulgo: desinare, fodare, comare, pinsare, pleraque alia, quorum pleni sunt veterum Grammaticorum libri, quæ ex multis pauca in hunc finem recensui, quò admonerem rudiores & minus exercitatos, vt & ipsi, talia quoties occurrunt, diligentiùs obseruent. Ad te verò quod attinet, hoc omne de lauo, lauere, quod est à me obiectum, non eò feci, quòd ita reuera senseram, sed tui tentandi gratiâ, qui, cum tam expedite huic obiectioni satisfeceris, non opus est vt diutiùs in hisce immoremur, quæ apud antiquos aliquando erant in vsu, iam verò exoleuerunt.

Hæc omnia à superiore asteriſco ad finem huius responsionis in tertiâ editione addebantur.

Resp. *Prodest tamen hæc, & huiusmodi sæpiùs apud iuniores inculcare, vt crebra horum admonitione expergefacti, altiùs in illorum animis inhæreat diligens huiusmodi rerum obseruatio.*

Quæst. His tamen omissis, virium tuarum periculum faciam in alijs, quæ mihi ad huc restant de verbi accidentibus obijcienda. Nam præcedens argumentum tractârunt & alij, qui ante nos disputârunt. Si quid ergo culpandus videbar, quòd & ego in eodem argumento laborauerim, hanc ego culpam vt mihi clementer condones, obnixè rogo.

Resp. *Facilè à me quidem hac in re veniam impetrabis. Grata enim fuit, qua vsus es in hac quæstione denuò post illos tractanda varietas, viâmq; hac ratione commonstrasti rerum Grammaticalium*

ticalium ſtudioſis, idem in alijs argumentis non ſine fructu & emolumento tentandi.

Quæſtio ſecunda.

An vera ſit hæc regula: As *in præſenti, perfectum format in* aui? 25

Quæſt. Inter alias quæſtiones, quæ nobis à præceptore benigniſſimo proponuntur (auditores humaniſſimi) de quibus, iuxta veterem & laudabilem huius Scholæ conſuetudinem, eſt hodierno die diſputandum, hæc mihi diſcutienda & examinanda in primis videtur, quæ traditur de terminatione præteriti in verbis primæ coniugationis, de qua talis extat inter præcepta Liliana regula: *As* in præſenti perfectum format in *aui*; quam cùm tu veram eſſe arbitraris, ſcire perquàm libentèr à te velim; hoc eſt, cupio vt mihi candidè & ſincerè expedias, num omnia verba primæ coniugationis faciant præteritum in *aui?* Præfatiuncula.

Reſp. *Omnia verba primæ coniugationis, illis exceptis, quæ in hac regula exprimuntur, perfectum formant in* aui.

Quæſt. Illa igitur verba, quæ ab hac regula excipiuntur, non faciunt præteritum in *aui*, ſed vel in *ui*, vel in *di*, vel in *ti*, vel in *ĭi*, vt lauo, laui, do, dedi, ſto, ſteti, ſono, ſonŭi, & ſimilia.

Resp. *Ita sentio.*

Quæst. Quæ sunt illa verba primæ coniugationis, quæ faciunt præteritum in *ti*?

Resp. *Verbum sto, cum compositis, vt insto, persto, obsto, resto, præsto, & cætera.*

Obiectio. *Quæst.* Ego tamen probabo quædam composita à sto formare præteritum in *aui.*

Resp. *Audiamus tandem quid possis; vereor enim, ne onus humeris tuis impar in te susceperis.*

Propertius. *Quæst.* Propertius, Poëta satis probatus, sic scribit alicubi, referente Despauterio: Nec si

Restauerit. post stygias aliquid restauerit vndas. Idem etiam

Præstauimus. Despauterius (præstauimus) à præsto, recitat ex Iustino. Quid tu ad hæc tandem respondes? Sunt enim hæc exempla tam perspicua & clara, vt de his nullus relinquatur dubitandi locus.

Solutio. Resp. *Si cauillari liberet, ego facilè nudas hasce tuas assertiones reijcerem, propterea quòd libros & paginas authorum, ex quibus authoritates has depromis, non commonstras. Nôsti etiam poëtas pro magna illis concessa, vel libertate, vel licentia, metri & carminis causâ multa mutare; quod hic fortassis non inceptè pro præterito restauerit, respondere possem, quia non admittit carminis ratio præteritum restiterit. In altero verò exemplo (præstauimus) ex Iustino, si erratum inesse dixerim Typographicum, pro (præstabimus), non video cur hanc coniecturam meritò reijceres.*

Hæc in tertiâ editione addebantur ad hunc asteriscum vsq; *

Quæst.

Quæst. Tu multas habes elabendi vias: sed dic seriò quid rectiùs respondendum esse sentias? Hæc enim iocandi gratiâ videris mihi adduxisse. *

Resp. *Ego non is sum, qui Despauterij, tanti viri fidem in hisce citandis in dubium vocare velim. Respondebit pro me igitur ipsa Grammatica, cuius in fine illius regulæ hæc sunt verba: Rarò hæc formantur in* aui. *Vides itaq; ex ipsius Grammaticæ authoritate, hæc verba aliquando, sed rarissimè formari in* aui. *Sunt autem huiusmodi exempla notanda potiùs quàm imitanda.*

Quæst. Sunt hæc, quæ respondisti verissima. Nam apud Plautum aliquoties occurrit necaui, à neco, cuius etiam formæ reperiri fortasse possunt & alia. Neq; te latet præter exempla, quæ expressè ponuntur in hac regula, multa composita à verbo Plico, habere indifferenter præteritum in *üi* vel in *aui*, sicut in regulis de compositorum verborum præteritis in nostra Grammatica rectissimè annotatur. Necaui.

Resp. *Sed quomodo tibi satisfecit superior mea responsio?*

Quæst. Non est illa quidem omninò repudianda. Sed tamen est mihi recurrendum ad illud, quod in principio proposui: num scilicet pauculis quibusdam exceptis, omnia alia verba primæ coniugationis faciant præteritum in *aui*?

Resp. *Quid opus est hac repetitione? An non priùs satis tibi apertè affirmaui, hoc ita se habere?*

Lauo, lauas. *Quæst.* Si tam sis in hac sententia & opinione pertinax, dic quomodo faciat præteritum lauo, lauas?

Nota. Resp. *Affirmant doctiores Grammmatici hoc verbum carere præterito.*

Obiectio. *Quæst.* Hoc ipsum est quod volui. Hinc ego concludo contra regulam: *As* in præsenti, non formare præteritum in *aui.*

Resp. *Non video qua ratione ita queas rectè concludere.*

Quæst. Imò rectissimè. Si enim careat verbum lauo, lauas, præterito, quomodo potest formare præteritum in *aui*? Quod si non formet præteritum in *aui*, falsa est illa regula: *As* in præsenti, perfectum format in *aui.*

Solutio. Resp. *Intelligenda est illa regula de huiusmodi verbis, qua habent præteritum, hoc est, de verbis perfectis, & non defectiuis.*

Quæst. Non premam te arctiùs hoc argumento, sed iam alijs relinquam disputandi locum.

Quæstio tertia.

26 *An omne verbum sit personale, vel impersonale?*

Præfatiuncula. *Quæst.* Cum pro solita vestra humanitate & benignitate (Auditores optimi) chariſſimorum

rissimorum meorum, qui priùs disputârunt, sodalium, de verbo & eius accidentibus concertatiunculas patienter & æquis animis audieritis, spem mihi magnam feciſtis vos non minus æquos & benignos fore in noſtris etiam amborum velitationibus benignè audiendis, & clementer dijudicandis. Pauca enim ſunt quæ ego quoque habeam de verbo & eius accidentibus obijcienda. Duo enim ſolummodò proponam, eáque quàm breuiſſimè, quorum primum erit de ipſa verbi diuiſione, quæ ſtatim in principio habetur, vbi docet Grammatica, omne verbum eſſe perſonale, vel impersonale. Hanc ego diuiſionem nullo modo probandam & recipiendam eſſe cenſeo.

Reſp. *Si poteris probabilem aliquam rationem proferre, cur minùs tibi ſatisfaciat hæc diuiſio, tum demùm meritò poteris conqueri & Grammaticam noſtram reprehendere.*

Quæſt. Annon ſatis iuſta videtur tibi hæc conquerendi & reprehendendi cauſa, quòd non tam ſit vniuerſalis & generalis verbi diuiſio, vt omnia verba comprehendat, cuiuſcunque generis tandem illa fuerint?

Reſp. *Conſtantiſſimè ego hoc in me defendendum ſuſcipiam, nullum ſcilicet eſſe omnino verbum, quod non ſit vel perſonale, vel impersonale.*

Quæſt. Si probè expendas tam verbi perſonalis, quàm impersonalis, ſiue definitionem, ſeu

potiùs

potiùs descriptionem, mutabis fortassè sententiam.

Personale. Impersonale. Resp. *Quid ita (quæso)? An non verbum personale est, quod certis personis distinguitur? Impersonale verò, quod diuersarum personarum vocibus non distinguitur nec variatur, vt pœnitet, miseret, pudet, oportet, decet, & similia?*

Quæst. Si veræ sint hæ definitiones à te allatæ, multa reperiuntur verba, quæ neq; sunt personalia, nec impersonalia.

Resp. *Quî hoc probas?*

Quæst. Tam est hoc perspicuum & manifestum, vt nulla prorsus probatione indigeat, téque opinor hoc ipsum facilè esse concessurum.

Resp. *Mirus tu quidem eris probandi artifex, si hoc mihi persuadere possis.*

Obiectio. *Quæst.* Dic igitur (quæso) quale sit verbum (*quæso*) personale, vel impersonale?

Resp. *Quæso, est verbum personale.*

Quæst. Quomodo potest esse verbum personale, cum non distinguatur certis personis?

Resp. *Vnicum est hoc verbum, nec sufficit ad improbandam suprà citatam verbi distinctionem in personale, & impersonale.*

Quæst. Nihil dicis, cum priùs omne prorsus verbum cuiuscunque tandem generis, esse affirmaueris, vel personale, vel impersonale, sine vlla omninò exceptione. Nec est hoc verbum

vnicum

vnicum. Sunt enim multa alia similia: vt Salue, aue, cedo, infit, & nonnulla præterea.

Resp. *Distinguitur hoc verbum (quæso), quemadmodum & reliqua à te citata, certis personis.*

Quæst. Quid vocas distingui certis personis?

Resp. *Distingui personis, est variis & diuersis personis inflecti & variari.*

Quæst. Verbum *quæso* (vt omittam reliqua à me modò allata) non inflectitur & variatur personarum varietate, ergo non est verbum personale.

Resp. *Inflectitur. Facit enim (quæso) pluraliter (quæsumus).*

Quæst. Nulla tamen est hîc personarum varietas. Est enim vtrumque primæ personæ.

Resp. *Est terminationum manifesta varietas, tametsi non sit personarum.*

Quæst. Hoc non est satis, sed requiritur personarum varietas.

Resp. *Est (quæso) verbum defectiuum. Loquitur autem illa verbi personalis definitio de verbis integris & perfectis.*

Quæst. Non valet hæc ratio. Sunt enim multa verba defectiua, quæ tamen habent personarum varietatem. Tu quoq; priùs non excipiebas verba defectiua ab illa verbi diuisione in personale, & impersonale. Solutio superioris obiectionis.

Resp. *Dico igitur non fieri huius verbi & simi-*

lium

lium vitio, vel naturâ, quod non inclinentur trium personarum varietate, quemadmodum & alia multa; sed receptam iam loquendi consuetudine, quæ non tribuit hisce omnes in omnibus modis personas. Non video enim, cur non æquè flecteretur quæso, quæsis, quæsit, quàm lego, legis, legit: & ita in reliquis numeris, & personis, & temporibus, si hoc idem pateretur & admitteret vsus & authoritas probatissimorum Scriptorum. Quare si non habeas, quod præterea in hac quæstione obijcias, poteris iam agere in secunda quæstione, quæ cuiusmodi sit, audire cupio.

Quæstio quarta.

27 *An veræ sint regulæ de formatione præteriti temporis in verbis tam actiuæ, quàm passiuæ formæ?*

Præfatiuncula.

Multa hic adduntur, quibus priores editiones caruere.

Quæst. Longum esset, vobísque odiosum, & molestum (Auditores optimi), si omnia illa, quæ in hac quæstione sese offerunt examinanda & discutienda, fusiùs & exactiùs persequerer. Quod igitur in præcedentibus huc vsq; disputatiunculis est factitatum, in hoc etiam argumento, vt potero, præstabo, illa scilicet potissimùm tractabo, quæ ad studiosorum vtilitatem & emolumentum maximè facere videbuntur. Et cum mihi minimè sit dubium te omnia

nia, quæ de verborum præteritis tradit Grammatica obnixè, vel potiùs pertinaciter velle defendere, quæro primùm de verbis secundæ coniugationis quomodo faciat verbum frigeo, præteritum? Obiectio.

Resp. *Frigeo, facit in præterito frixi.*

Quæst. Illius ergo compositum refrigeo, faciet etiam præteritum refrixi.

Resp. *Sic sanè postulat verborum compositorum lex in omnibus, præterquam in illis, quæ excipiuntur.*

Quæst. Est tamen in vsu satis frequenti refriguit, vt & etiam friguit, à simplice frigeo, quemadmodum annotauit Priscianus libr. 9. de secunda coniugatione, testante Melancthone in sua Grammatica Lipsiæ impressa, pag. 241. Obiectio. Refrigui. Frigui.

Resp. *Iuxta secundæ coniugationis analogiam sic formare debuit præteritum regulariter: Es in præsenti, &c. Obtinuit tamen vsus, vt frequentiùs iam formet frixi.* Solutio.

Quæst. Multa reperiuntur præterea in hac coniugatione verb, aquæ variant à communi præteriti formandi ratione, tum etiam ab illa quam illis tribuit forma præter communem regulam Grammatica, de quibus quæ tua sit sententia, quàm libentèr audire cupio. Obiectio.

Resp. *Communis ferè est de his & alijs omnibus responsio: multa scilicet sibi permisisse veteres, quorum iam vsus exoleuit. Quare sufficiet pueris studiosioribus* Solutio generalis.

ſtudioſioribus hæc diligentiùs in lectione priſcorum obſeruâſſe tanquam rariora & infrequentia: illa verò recipere; quæ bonorum authorum vſus hodierno die magis approbauit: id quod ſæpiùs eſt reſponſum in ſimilibus, & ſæpius etiam poſtea reſpondebitur, quoties ſimilis ſeſe offeret occaſio de illis dicendi.

Obiectio. *Quæſt.* Sed & in illis, quæ in hac coniugatione dicuntur geminare primam ſyllabam præſentis in præterito (quæ quatuor eſſe perhibentur in Grammatica, pependi, momordi, ſpoſpondi, totondi), quædam inueniuntur mutare aliquando primam ſyllabam geminatam, in aliam. Dixerunt namque veteres: memordi, ſpeſpondi, &c.

Solutio pag 240. Reſp. *Hoc docet Melanchthon illos feciſſe ad imitationem Græcorum.*

Quæſt. Plura ſunt, quæ in hac coniugatione obſeruari poſſunt apud veteres contra communes inflectendi regulas; ſed ſi omnia ſcrupuloſiùs annotarem, nihil relinqueretur ſtudioſis adoleſcentulis in quo ſua exercerent ingenia, in horum per ſeſe inueſtigatione & indagatione, cum per otium licuerit. Hiſce ergo relictis, percurram paucis, quæ notatu digna videbuntur de præteritis verborum tertiæ coniugationis.

Reſp. *Et hîc quoque rem facies rei literariæ tyrunculis gratiſſimam, illorúmque tuo exemplo excitabis*

excitabis industriam, vt quæ à te omissa fuerint, ipsi postea diligentiùs persequantur.

Quæst. Hîc igitur quia varia sunt præsentis terminationes, ex quibus colligitur præteriti terminatio, illas ex ordine pertractabo, saltèm quæ maioris momenti & emolumenti videbuntur. Tertia coniugatio.

Resp. *Vtere tuo iudicio, Nihil enim impedio, paratus, vt potero, ad omnia respondere.*

Quæst. Inter illa, quæ in hac coniugatione habent præsens in *co*, cum doceat Grammatica verbum parco habere in præterito peparsi, & parsi; reperitur tamen apud veteres præteritum parciui, vt apud Næuium in quadrigeminis, citante Nonio.

Resp. *Peparsi & parsi, præterita sunt vsitata,* Solutio. *parciui autem inusitatum & priscum.*

Quæst. In illis quæ desinunt in *do*, descendo faciebat olim descendidi; & scindo, sciscidi, & scindidi. Obiectio.

Resp. *Hæc quoq; sunt vetusta & antiqua, nec* Solutio. *hodiè vsurpanda.*

Quæst. Quæ quoque in *go* exeunt, ex illis reperiuntur quædam secundæ coniugationis vt tergeo, & fugeo. Obiectio.

Resp. *Hoc quoq; veteribus est dandum, apud* Solutio. *quos multa reperiuntur verba secundæ coniugationis, interdum tertiæ; & non pauca tertiæ, interdum secundæ: de quibus quære indicem nostrum in*

fine

fine appensum.

Obiectio. *Quæst.* Ex illis in,*lo* cello facit ceculi: videtur quoque formasse aliquando culsi: Nam eius compositum percello apud Terentium facit perculsi, in Andria: Perculsit illicò animum.

Solutio. Resp. *Sed cum nulli veterum mentionem faciunt huius præteriti, videtur locus esse mendosus, & pro perculsit legendum esse percussit.*

Quæst. Est sanè huius sententiæ Riuius. Videtur igitur à verbo percutio rectiùs debere deriuari. Sic igitur restituatur Terentij locus: Percussit illicò animum, vbi nulla erit omnino difficultas. Sed pergamus. Tollo facit secundum Grammaticam, sustuli à suffero, nonne?

Resp. *Quidni?*

Quæst. Audi tamen Terentium in Andriæ act. 4. sce. 6. sic loquentem. Nam pol si id scissem, nunquam huc tetulissem pedem. Et sæpiùs eodem modo Plautus. Vide indicem.

Solutio Melanchonis 260. Resp. *Veteres & tetuli præterito dicebant, tàm ab hoc quàm à tulo, quod ysdem in vsu fuit. Sed posteriores à fero, quo pro tulo hodie vtimur, tuli dicere maluerunt.*

Obiectio. *Quæst.* A pono tàm simplice quàm in compositis, posui legimus in præterito: Plautus; Nunc vt apud sequestrum vidulum posiuimus. Et alibi: Ille suum annulum oppositit. A cano etiam in compositis quibusdam occini & occanui legimus.

Resp.

Resp. *Idem respondeo, quod sæpiùs antea in alijs similibus: Hæc priscis & antiquis reliquimus, sequemúrq; quod hodiè frequentiore est in vsu.* Solutio.

Quæst. Et hæc tertiæ coniugationis ego quoque hîc relinquam, de quarta coniugatione pauca oppositurus; vbi quæro quisnam sit character, siue index præteriti in hac coniugatione?

Resp. *Præteritum in hac coniugatione frequentiùs exit in* iui.

Quæst. Quid tamen in bonorum authorum lectione frequentiùs occurrit, quàm hæc & huiusmodi audij, audijsti: sæuij, sæuijsti: lenij, lenijsti, &c? Obiectio.

Resp. *Fiunt hæc per Syncopen, quæ figura est in hac coniugatione frequentissima, vt & in alijs coniugationibus.* Solutio.

Quæst. Hoc addo in iuniorum gratiam apud Comicos, & Poëtas, imperfectum in hac coniugatione sæpè pati syncopen: vt audibant, lenibant, scibant, sæuibant, &c.

Resp. *Est hoc quoque frequentissimum.*

Quæst. Sed ad hoc quid respondes, quòd futurum quoque in hac coniugatione, & indicandi modo sæpissimè desinat in *ibo* & passiuè in *ibor*. Obiectio.

Resp. *Hoc etiam veteribus debemus, quorum potiùs est obseruanda, quàm sequenda consuetudo in hac parte.* Solutio.

Quæſt. Exempla vbique occurrunt, apud Plautum præſertim, cuius nulla ferè eſt Comœdia quæ non ſuppeditet tibi & huiuſmodi verborum copiam, atque etiam infinita ferè verba, quæ nunc deponentia, tunc in actiua terminatione vſurpabantur, vt & in indice noſtro fuſiùs oſtendimus. Sed iam agam de præteritis verborum vel paſſiuorum, vel formæ paſſiuæ.

Deponentia, in forma actiua.

Reſp. *Ego hîc quoque tam ero ad Grammaticam defendendam paratus, quàm tu promptus eris ad eandem oppugnandam.*

Quæſt. Verba in *or* admittunt ex poſteriore ſupino præteritum, verſo (*u*) per (*us*) & (*ſum*) conſociato vel (*fui*). Agnoſcis hæc regulæ verba, nonne?

Regula Grammaticalis.

Reſp. *Vel maximè.*

Quæſt. Huius ego regulæ ſenſum & intellectum velim à te libenter alijs verbis explicari.

Reſp. *Nihil eſt hoc facilius, nempè hoc modo: verba paſſiua, quorum terminatio eſt in* or, *formantur à poſteriore ſupino, mutato* u *in* us *& addito* ſum *vel* fui.

Quæſt. Hoc ergo vis: omnia verba paſſiua formari à poſteriore ſupino.

Reſp. *Sic ſentio.*

Quæſt. Tam eſt hoc falſum, quàm quod eſſe poteſt falſiſſimum.

Reſp. *Facilè tu quidem ſic affirmas, ſed non ita*

ita facilè hoc, quod affirmas, probare potes.

Quæst. Nulla erit omninò difficultas. Cum enim omnia verba passiua careant posteriore supino, quomodo possunt formare præteritum ex posteriore supino, cum non habeant omninò posterius supinum? Obiectio.

Resp. *Meræ sunt hæ nugæ & cauillationes. Non enim sunt hæc verba ita intelligenda, quasi verba passiua formarent præteritum à suo supino, quod non habent, sed ab actiuorum suorum posteriore supino.* Solutio.

Quæst. Sed multa sunt verba actiua, quæ carent posteriore supino: illorum ergo passiua non possunt formare præteritum ex posteriore supino. Instantia.

Resp. *Necesse est, vt illa verba passiua careant præterito, quorum actiua carent supino posteriore.* Solutio.

Quæst. Falsa igitur est hæc regula: Verba in (*or*) admittunt ex posteriore supino præteritum.

Resp. *Intelligenda est hæc regula de huiusmodi verbis, quorum actiua habent posterius supinum.* Regulæ sensus.

Quæst. Satis dextrè occurris meis obiectionibus: velim tamen vt adhuc hac vna in re mihi satisfacias, quid scilicet sit statuendum de verbis deponentibus & communibus, quæ desinunt omnia in *or*, & habent etiam præteritum Alia obiectio

quod non possunt ex posteriore supino formare, cum satis constet huiusmodi verba non habere omnino actiua. Hîc igitur iterum fallit hæc regula, nisi fortè velis negare hæc verba desinere in *or*.

Solutio de formatione præteriti, in verbis deponentibus & communibus.

Resp. *Tametsi nihil hîc (quod sciam) statuat Grammatica nostra: opinor tamen fingenda esse verba actiua, ex quorum posteriore supino hæc verba deponentia & communia formarent regulariter præteritum, si essent in usu huiusmodi actiua; & reuera, sicut paulo superius est annotatum extant apud Comicos veteres, Plautum præsertim, plurima exempla deponentium verborum, quæ sua habent actiua in o, vnde fieri potest coniectura de reliquis. Exempli gratia, finge tale esse verbum actiuum, nempè læto, lætas, lætaui: Ab huius supino posteriore lætatu, formaretur regulariter lætatus sum, vel fui. Sic si fingamus esse verbum actiuum crimino, as, aui, ab eiusdem posteriore supino criminatu, regulariter in verbo communi criminor, formabimus præteritum, criminatus sum, vel fui; & ita in reliquis, si non excipiantur.*

Alia obiectio.

Quæst. Sed cum habeant verba deponentia & communia vtrunque supinum, cur non formatur præteritum in huiusce generis verbis à suo posteriore supino, vt ab obsculatu, osculatus sum, vel fui: à locutu, locutus sum, vel fui, & ita in alijs omnibus similiter?

Solutio.

Resp. *Esset hæc præpostera admodùm, & in uersa,*

uersa, (ne dicam) peruersa formandi ratio: Nam uno ore & consensu docent omnes ferè Grammatici, quòd formetur supinum à præterito, non autem præteritum à supino, in verbis scilicet actiuis, aut formæ actiuæ.

Quæst. Sed non habent verba deponentia, & communia præteritum, nisi mutuatiuum (si ita loqui liceat); sequitur ergo, si formetur supinum ex præterito, debere omnia verba deponentia & communia carere supinis. Instantia.

Resp. *Habent quidem verba deponentia, & communia præteritum, sed formæ passiuæ, non autem actiuæ, unde regulariter formatur supinum. Quare (ut supra dixi) fingenda sunt præterita formæ actiuæ, à quibus possint in hisce deponentibus & communibus regulariter formari supina secundum formam actiuorum.* Solutio.

Quæst. Plura de verbo hoc tempore non objciam, præsertim cum tam commodis & aptis adductis solutionibus euertere & diluere soleas. Et quæ præterea restant dicenda, ea possunt studiosi ex alijs petere, ne omnia videar nimis scrupulosè & curiosè nimiáque prolixitate fuisse prosecutus. Habeo tamen non pauca de participio proponenda, in quibus à te satisfieri perquam libenter velim.

Resp. *Ego pro ingenij mei tenuitate, ad omnia, quæ proposueris, ut potero, breuiter respondebo.*

DE PARTICIPIO DISputatio.

Quæstio prima.

§ 8 *An vera sint omnia, quæ traduntur in Grammatica de generibus & significatione participiorum?*

Præfatiuncula.

QVæst. Cum ego mihi probè sim conscius (Auditores optimi), quàm exiguæ sint ingenij mei vires, quàm modica scientia & eruditio, quàm inculta & impolita oratio, non possum non timere & exhorrescere; méque nedum hodiè turpiter, subuenire, si minùs vestræ expectationi satisfecero. Consolatur me tamen & recreat solita vestra benignitas, qua illos soletis humanissimè complecti; qui in hoc disputandi exercitio ingeniolorum suorum vel leue aliquod specimen vobis ex hoc ipso loco exhibere solent. Hac spe fretus, ego quoque factus sum alacrior, animóque hilariore & audaciore te iam tandem (aduersarie strenuissime) adoriar; vt quid possis pro participiorum generibus, & significatione respondere, periculum faciam & experiar.

Resp. *Tu nihil hîc potes percontari, ad quod respondendum dextrè & appositè me non promptum,*

tum, & paratum inuenies.

Quæst. Hoc loco igitur velim mihi ante omnia respondeas, cur efficeret participium per sese distinctam ab alijs & peculiarem orationis partem?

Resp. *Quia non potest commodè sub vlla reliquarum partium contineri.*

Quæst. Conuenit genere, numero, casu & declinatione cum nomine. Cur non possit igitur suo iure sub nomine comprehendi, præsertim cum migret etiam sæpissimè in nomen?

Resp. *Verè tu quidem hoc affirmas. Est enim magna familiaritas & affinitas participio cum nomine, ita vt non immeritò ab alijs nomen verbale appelletur, à quo sola significatione & tempore discrepat*

Participium, nomen verbale.

Quæst. Hæc igitur tibi videtur causa idonea, cur ab alijs orationis partibus distinguereturꝫita vt per sese constituat peculiarem orationis partem?

Resp. *Maximè.*

Quæst. Nititur hæc tua responsio virorum eruditissimorum authoritate, quam ego, ne mihi solus sapere & cornicum (quod aiunt) oculos configere velle videar, conuellere aut infringere non conabor. Quò tamen bonæ indolis adolescentes contra sophistarum fraudes fiant instructiores, ad hunc modum contendo, participium esse nomen: ac proinde septem esse duntaxat

taxat orationis partes.

Resp. *Tun', vt participium nomen esse probes?*

Obiectio. *Quæst.* Quicquid habet omnia nominis attributa, siue accidentia illud ipsum est nomen: participium habet omnia nominis attributa: ergo participium est nomen.

Resp. *Hoc non verè respondisti, nempè habere participium omnia nominis accidentia. Non enim comparantur participia. Est præterea argumentum ipsum vitiosum, quod mox patebit.*

Quæst. Quid hisce vocibus magis est tritum & vsitatum: amans, amantior, amantissimus: doctus, doctior, doctissimus, cuius generis infinita alia reperire liceat?

Resp. *Participia, cum admittunt gradus comparationis, amittunt naturam suam, & fiunt nomina.*

Quæst. Sed si comparationem excipias, habent participia reliqua omnia nominis accidentia.

Resp. *Non est hoc satis ad probandum participia esse nomina. Imò si darem tibi (quod firmis rationibus nunquam euincere valebis) habere participium omnia nominis accidentia, non tamen hinc sequeretur participium esse nomen, quod alterum erat in argumento tuo vitium.*

Quæst. Cedo quare?

Resp. *Quia vt participium sit nomen, requiritur non modò vt habeat omnia nominis attributa*

(quod

(*quod de participio verè affirmare non licebit*), *ſed vt habeat præterea tempus & ſignificationem, quæ à verbo mutuatur,* Superioris argumenti ſolutio.

Quæſt. Tempus iam eſt, vt ad quæſtionem propoſitam reuertamur de participiorum numero, ſeu potiùs generibus, vel ſpeciebus. Quot ſunt igitur participiorum genera, ſiue ſpecies?

Reſp. *Quatuor recenſentur, nempe præſens, præteritum, futurum in* (rus) *& futurum in* (dus). Genera participiorum.

Quæſt. Multa ſunt verba duobus tantùm participijs contenta, quædam vno, pleraq; etiam nullo: ergo non ſunt quatuor participiorum genera. Obiectio.

Reſp. *Non ſequitur argumentum. Non enim hoc loco de eo agitur, quot ſcilicet participia à ſingulis verborum generibus ducantur* (*de quo in ſequente quæſtione*); *ſed inter participia, eſſe quædam præſentis temporis, quædam præteriti, quædam verò futuri.* Solutio.

Quæſt. Sed hac ratione tria ſtatuantur duntaxat participiorum genera, præſens, præteritum & futurum, quod & alij Grammatici non aſpernandi docent. Inſtantia.

Reſp. *Qui tria docent eſſe participiorum genera, ijdem poſtea participium futuri temporis duplex eſſe ſtatuunt, nempe in* rus *& in* dus, *quod eodem redit. Qui verò quatuor eſſe dicunt, illi eodem, quo noſtra Grammatica, modo participiorum genera diſtribuunt* Solutio.

distribuunt in præsens, præteritum, futurum in rus *& futurum in* dus.

De participiorum significatione,

Quæst. De participiorum generibus hæc sufficiant. De eorundem significationibus deinceps respondeo.

Resp. *Quid est, quod hîc quærendum putas?*

Quæst. Nempè quænam sit participiorum significatio?

Resp. *Partim activa, partim passiva, partim verò neutra.*

Quæst. Quæ participia significant activè?

Resp. *Quæ à verbis activis descendunt.*

Quæst. Quæ participia significant passivè?

Resp. *Quæ veniunt à verbis passivis.*

Quæst. Quorum participiorum significatio est neutra?

Resp. *Quæ à verbis neutris derivantur. Imitatur enim participium significationem sui verbi, unde dirivatur.*

Obiectio.] *Quæst.* Multa sunt participia, quæ nec tempus omninò significant, nec si significationem spectes, vel actionem, vel passionem denotant: vt fugitans litium, indoctus pilæ, puer amandus, id est, amari dignus, & similia.

Solutio. Resp. *Hæc & similia, (sicut suprà dictum est) non sunt in huiusmodi locutionibus participia, sed migrant in nomina.*

QVAESTIO.

Quæstio secunda.

An verè sint regulæ, quæ habentur de numero participiorum ab vnoquoque genere verborum personalium descendentium? 29

Quæst. Qui cætera huc vsque viriliter defendisti, quæ docet Grammatica in regulis, de quibus est hactenùs à varijs variè disputatum; mirum, ni & has quoque regulas tutari velis, quæ traduntur de numero participiorum, quæ producunt & procreant quinque illa genera ex sese verborum personalium, actiuum videlicet, passiuum, neutrum, deponens, & commune. Præfatiuncula.

Resp. *Nihil omninò falsitatis in sese continent illæ regulæ.*

Quæst. Ostende ergo mihi, quot veniant participia à verbis actiuis, & neutralibus.

Resp. *Si modò habeant verba actiua, & neutralia, supina, duo veniunt ab illis participia; vnum scilicet præsentis temporis, & aliud futuri in* rus.

Quæst. Cur illud adijcis: si modò habeant verba actiua, & neutra, supina?

Resp. *Quia in verbis actiuis & neutris participia futuri in* rus *formantur à posteriore supino, addita syllaba* rus; *vt lectu, lecturus, cursu, cursurus.*

Quare

Quare ſi careant verba actiua, & neutra ſupino poſteriore, neceſſe eſt etiam vt careant participio futuri in rus, *quod à poſteriore ſupino erat formandum.*

Quæſt. Vt ergo paucis complectar, quæ à te pluribus dicta ſunt, ſic affirmas: à verbis neutris duo tantùm participia formari, alterum præſentis temporis, alterum vero futuri in *rus*.

Reſp. *Sic aio.*

Quæſt. At ego oſtendam à quibuſdam verbis neutralibus tria venire participia, more verborum deponentium. Nam gaudeo facit gaudens, gauiſus, gauiſurus: audeo, audens, auſus, auſurus: fido, fidens, fiſus, fiſurus. Obiectio.

Reſp. *Non ſunt hæc merè neutralia, de quibus ſolis illa regula eſt intelligenda; ſed neutropaſſiua, quorum non eſt in omnibus ſimilis ratio cum verbis merè neutralibus. Nam cum ab illis in coniugandi ratione nonnihil diſcrepant, quid mirum eſt, ſi in participiorum formatione ab iiſdem aliquouſque varient?* Solutio.

Quæſt. Quare dicuntur neutropaſſiua?

Reſp. *Quia tametſi ſunt neutra, tamen formant præteritum more paſſiuorum.*

Quæſt. Quomodo ergo differunt neutropaſſiua, & paſſiua neutralia?

Reſp. *Neutropaſſiua, tametſi habeant præteritum paſſiuorum, retinent tamen ſignificationem neutrorum: paſſiua verò neutralia, quamuis deſi-*

nant

nant in O, *habent nihilominùs & significationem & casum passiuorum.*

Quæst. Parùm te iuuabit hæc distinctio. Reperiuntur enim verba merè neutralia, quæ contra regulam tria formant participia; vt dolendus, & carendus à doleo & careo, cum alijs eiusdem farinæ apud poëtas. Alia obiectio.

Resp. *Sunt hæc pauca, & ferè irregularia, quorum numerus exiguus non multum valebit ad regulam generalem abrogandam.* Solutio.

Quæst. Non sic abibis. Memini enim te paulò ante dicere, à verbis neutris formari participia præsentis, & futuri in *rus* duntaxat. Sed præter hæc quæ à me sunt paulò ante contra hanc assertionẽ allata, & à te satis quidem dextrè & acutè soluta, illius assertionis tuæ vanitatem luce clariùs visendam hoc pacto ostendam; quòd multa formentur à verbis neutris passiua participia, præteriti temporis, atque etiam futuri in *dus*. cuiusmodi sunt, excursus, percursus, erratus, aratus, laboratus, & cætera, quorum participia in *dus* sunt passiua obuia. Obiectio. Participia neutra passiuæ vocis.

Resp. *Fiunt hæc à verbis impersonalibus neutris, quæ reperiuntur solùm in tertia persona passiuæ vocis: ego autem cum Grammatica loquor de neutris personalibus actiuæ formæ. Sequuntur enim huiusmodi formam passiuorum in participiorum formatione.* Solutio.

Quæst. Fio, factus, num tibi videtur impersonale Instantia.

sonale passiuæ formæ, quod in tertia persona duntaxat reperitur.

Solutio. Resp. *Non est participium* (*factus*) *à neutro fio, sed à passiuo facior inusitato, in verbo simplice, cuius tamen composita frequenti sunt in vsu.*

Alia instantia. *Quæst.* Quid verò? Triumphatus, regnatus & similia, censéne esse participia à neutris impersonalibus tertiæ personæ in forma passiua?

Resp. *Sunt hæc, & similia καταχρηστικῶς, & abusiuè à poëtis vsurpata, quorum libertatem, seu potiùs licentiam, notandam potiùs quàm sequendam, pueris præsertim, esse existimo.*

Participia verborum deponentium & communium. *Quæst.* Vnum adhuc mihi restat quærendum de verbis deponentibus & communibus, è quibus deponentibus tria descendunt participia iuxta Grammaticam: communia verò quatuor participia formare traduntur. Hoccine in vniuersum verum & perpetuum in omnibus verbis deponentibus & communibus esse affirmabis?

Resp. *Non video quid incommodi sequeretur.*

Nascendus. *Quæst.* Vbi (quæso) legisti tandem, nascendus, vel naturus à nascor: vel moriendus à morior, & similia? Imò in verbis deponentibus an non expressè ponitur, illa non formare participia in *dus*, nisi quando regunt post se accusatiuum?

Resp.

Resp. *Si spectes coniugandi analogiam, siue (vt ad captum puerilium ingeniolorum magis perspicuè loquar) similem similium verborum inclinandi rationem, non video cur non aquè inclinemus nascendus & naturus à nascor, atque oriundus & oriturus ab orior. Sed tam in verbis coniugandis, quàm in nominibus declinandis maior habenda est ratio, quid ferat vsus Latinè, & purè loquentium, quàm quid poscat natura, vel modus, siue declinandi, siue coniugandi.*

Quæst. Illud rectè respondisti. Nos autem hîc statuamus modum huic disputationi; vt & alijs iam sit liberum de his ipsis rebus (si placet) vlteriùs disputare.

Quæstio tertia.

An veræ sint regulæ Grammaticales de terminatione, & formatione participiorum præsentis temporis? 30

Quæst. Liceat & mihi quoque, pace & patientia vestra freto (viri ornatissimi) de participio pauca proponere, sed breuiter; vt & temporis rationem habuisse videar, & ne nimia prolixitate viris hisce grauissimis & clarissimis, reliquæque auditorum humanissimorum coronæ molestus esse iudicer. Hîc igitur paucis mihi respondе, quàm tibi vera videantur esse, quæ Præfatiuncula.

in

in præceptis Anglicanis traduntur de participiorum præsentis temporis tam terminatione, quàm formatione?

Resp. *Tibi satis notam esse arbitror meam hac in re sententiam, quippe qui in me susceperim Grammaticæ nostræ in omnibus veritatem tutandam & defendendam.*

Quæst. Dic ergo, quomodo terminantur omnia participia præsentis temporis? deinde etiam vnde formantur, doce.

Terminatio. Formatio.

Resp. *Terminantur participia præsentis temporis vel in* ans, *vel in* ens: *formantur verò à prima persona imperfecti temporis indicatiui modi suorum verborum, mutata vltima syllaba in* ns: *vt ab amabam, amans: auxiliabar, auxilians: poteram, potens.*

Obiectio.

Quæst. Quæso verò & aue, vnà cum verbis odi, cœpi, memini & similibus, quomodo terminantur & formantur in participio præsentis temporis?

Resp. *Non habent omninò hæc verba participium præsentis temporis.*

Quæst. Hîc ergo fallit Grammatica, nec tuo (vt videtur) fulcietur & sustentabitur patrocinio.

Solutio.

Resp. *Non eget magnoperè hoc loco, meo patrocinio. Si enim non habent omninò hæc verba participia præsentis temporis, non possunt illud formare quod non habent. Nam si non habent imperfectum indicatiuum*

indicatiuum non possunt habere participium præsentis temporis, quia formatur illud tempus ab imperfecto indicatiuo, eâ ratione, quâ paulò ante est à me demonstratum.

Quæst. Si liberet cauillari, non esset adeò difficile hoc tuum responsum conuellere. Sed esto disputandi gratiâ verissimum, non ita tamen euades. Nam si dextrè sum mentis tuæ sententiam consequutus, hoc affirmas: non posse videlicet esse participium præsentis temporis, si verbum ipsum careat imperfecto indicatiuo.

Resp. *Sic sentio. Tu verò si aliter sentias, redde nobis aliquam saltem sententiæ tuæ rationem.*

Quæst. Imò tecum sentire non possum. Reperio namque participium (inquiens) à defectiuo inquio, cuius nullum extat imperfectum. Falsum est itaque quod modò affirmâsti, non posse scilicet formari participium præsens, vbi verbum careat imperfecto indicatiuo. Obiectio. Inquiens.

Resp. *Sed vbi tandem reperis participium (inquiens) à defectiuo inquio? Non enim occurrit nunc vbi legerim.*

Quæst. In ipsa tua Grammatica, cuius tu tam acris es patronus & strenuus propugnator. Lege enim quæ traduntur in eádem de verbis defectiuis, vbi statim hoc vtrumque facilè inuenies, nempè quòd (inquiens) sit participium

præsens à defectiuo inquio, vel inquam, cuius nullum reperitur imperfectum indicatiuum ibidem loci, nec alibi vnquam (si probè memini) apud probatum aliquem authorem.

Solutio. Resp. *Possum hoc pacto (si placet) respondere, esse hoc scilicet vnicum & singulare exemplum, ac proinde non infirmare regulæ generalis certitudinem: vel reperiri fortassis aliquando imperfectum (inquiebam), vnde regulariter formatur (inquiens), vel si nusquam reperiatur, formari tamen (inquiens), ab inquiebam, perinde ac si extaret reuera, essétque in vsu legitimo imperfectum inquiebam.*

Instantia. *Quæst.* Satisfacis mihi dextrè sanè & appositè: instо tamen adhuc, & vrgeo te vlterius. Sic enim haud ita dudum asserebas, vbi reperitur nempè imperfectum indicatiuum, ibi etiam haberi participium præsens in (*ans*) vel *ens* finitum. Sed multa reperiuntur imperfecta indicatiua, à quibus tamen nulla deriuantur participia in (*ans*) vel in (*ens*): falsò igitur hoc affirmâsti.

Resp. *Ostende tu, si potes, huiusmodi imperfecta, à quibus nulla proueniant præsentis temporis participia.*

Quæst. Talia sunt, oportebat, tædebat, miserebat, cum multis alijs, à quibus vbi tu legisti tandem, oportens, tædens, miserens, & similia?

Solutio. Resp. *Hæc sunt impersonalia, intelligitur autem*

tem regula de personalibus.

Quæst. Quasi verò satis firma & constans sit hæc ratio: cùm & impersonalia non pauca habeant participia præsentia, vt pœnitens, decens, libens.

Resp. *In his, vti priùs est à me responsum, fingenda sunt imperfecta actiuæ formæ in* (bam), *veluti pœnitebam, decebam, libebam.*

Quæst. Multas tu quidem habes latebras, multa profectò diuerticula: te tamen adhuc persequi non desistam, sed veniam iam tandem ad rem ipsam propiùs, téq; arctiùs constringere conabor. Doce igitur quodnam habeat imperfectum verbum Eo.

Resp. *Facit (eo) in imperfecto (ibam), quemadmodum etiam & queo quibam.* Obiectio.

Quæst. Sed non formant participium (iens). Falsa igitur est Grammatica.

Resp. *Qua ratione hoc probaueris, præsertim cùm frequentissimo sit in vsu participium ambiens, ambientis, quemadmodum & abiens, rediens?*

Quæst. Sed non faciunt illa (abientis, redientis), verùm (abeuntis, redeuntis); quæ confirmant, quod priùs dixeram, non inueniri nempè (iens, ab eo), sed (euns) quod est contra regulam.

Resp. *Respondeo, rarò admodum reperiri iens,* Solutio. *quod tamen si aliquando reperiatur, facit in obliquis non ientis, ienti, sed euntis, eunti, tanquam ab an-*

tiqno (euns) irregulariter.

Quæst. Laudo acumen tuum. Sed iam disputent (si velint) alij.

Quæstio quarta.

31 *An formetur participium futuri in (rus) à posteriore supino, addita syllaba (rus)?*

Præfatiuncula.

Quæst. Habeo & ego (Auditores optimi) quod obijciam in hoc argumento: sed in participij regulis oppugnandis ero breuior, vbi postquam vnum atque alterum telum in te vibrauero, dabo alijs disputandi locum.

Resp. *Vtere tuo iudicio. Nihil enim impedio. Nec tu eris ad oppugnandam Grammaticæ veritatem promptior, quam ego ad eandem tutandam & defendendam paratior.*

Formatio participij futuri in (rus).

Quæst. Docet Grammatica formari participia futuri in (*rus*) à posteriore supino per adiectionem huiusce syllabæ, videlicet (*rus*). Hanc tu formationem pro vera & certa defendere audebis?

Resp. *Defendam, nec te posse puto huius formationis veritatem infringere.*

Obiectio.

Quæst. Sed omnia verba deponentia, & communia habent futurum in (*rus*), ergo falsa est hæc regula.

Resp. *Nego consequentiam. Non enim sequitur,*

tur, hanc regulam de formatione Participij futuri in (rus) *esse falsam, propterea quòd verba deponentia, & communia habent hoc futurum.*

Quæst. An non sequitur ? Efficiam profectò vt mox sequatur, idque ratione tam manifesta, vt eandem nemo, nisi tui similis, hoc est, frontis perfrictæ & impudentis pernegare possit. Sic itaque disputo. Formatur Participium futuri in (*rus*) à posteriore supino : Carent autem omnia verba deponentia, & communia tàm posteriore, quàm priore supino : ergo non possunt formare Participium futuri in (*rus*) à posteriore supino, quod non habent: & proinde non verè affirmat Grammatica, semper formari futurum in (*rus*) à posteriore supino.

Resp. *Sic tibi paucis responsum esto. Formatur semper Participium futuri in* (rus) *à posteriore supino, aut re vera, aut per suppositionem.* Solutio.

Quæst. Per suppositionem ? vnde tu demùm nouam hanc & priùs inauditam distinctionem es nactus ?

Resp. *Necesse est ita distinguere propter verba deponentia, & communia, quæ non carent supinis, quod tu modò non rectè affirmásti ; sed quia carent hæc verba suis actiuis, ex quorum præterito regulariter formatur supinum, supponendum est habere actiua, vnde regulariter formaretur supinum vtrumque, à quorum posteriore formatur Participium futuri in* (rus) *more consueto, hoc est, addendo*

terminationem (rus) *ad posterius supinum.*

Quæst. Video te satis esse verbosum & loquacem. Occludam ergo statim tibi os, prolato adhuc vnico argumento, quod licèt non sit propriè huius loci (est enim de significatione, non autem formatione futuri, idq; etiam futuri in *dus*): ne tamen te (quæso) pigeat ad idem si possis respondere.

Resp. *Audiamus quæso quid hoc tandem sit, de quo tibi videris tantoperè gloriari.*

Obiectio. *Quæst.* Tradit Grammatica in participij regulis manifestè contradictoria: ergo etiam tradit manifestè falsa. Nam non possunt propositiones contradictoriæ vnquam simul esse veræ.

Resp. *Audacter tu hoc, vt reliqua omnia, affirmas, quod si ita apertè confirmare potes, prolata & ostensa huiusmodi contradictione, magnum quid & valdè mirum profectò effeceris.*

Contradictoria. *Quæst.* Sic itaque habeto. Rudimenta Anglicana docent participia futuri in (*dus*) aliquando significare actiuè: Latina verò tradunt eadem significare semper passiuè, & nunquam actiuè. Sunt autem aliquando, & nunquam, contradictoria, itaq; manifestè falsa traduntur in Grammatica. Quid ais?

Resp. *Ego cupio quidem doctiorum de hac re sententiam audire: interea tamen dabunt mihi veniam æqui lectores, si meam hoc loco interpono coniecturam; præsertim verò quia me tantoperè vrges,*

vt

vt aliquid respondeam. Non nego itaque videri posse contradictoria hic tradi, si nuda verba spectentur, & obstinatè vrgeantur. Sed cùm dicatur in regulis Latinis hoc Participium semper significare passiuè, ego hoc semper pro plerúmque exponendum esse censeo; ita vt intelligatur, sæpissimè quidem (imò ferè semper) hoc Participium passiuam habere significationem, aliquando tamen, sed rarò reperiri in significatione actiua. Solutio.

Quæst. Accipio hanc tuam interpretationem, in qua quidem, donec quis meliora & magis probabilia producat, acquiescam, nec te vlterius hoc tempore vrgebo.

Quæstio quinta.

Num verba actiua, & neutra duo habeant participia, vnum præsentis temporis, alterum futuri in rus? 32

Quæst. Audiuistis non ita dudùm (viri clarissimi) quædam huius generis tractata ab alijs meis commilitonibus charissimis; quibus ego, si paucula quædam eiusdem ferè argumenti adiecero, alia tamen ratione, modóque diuerso discutienda in medium protulero; tantùm aberit vt sic faciendo tædium & quasi nauseam vobis mouisse censeri debeam, vt potiùs grata quadam nouitate, & inexpectata obiectionum va- Præfatiuncula.

rietate aures veſtras demulcere me poſſe ſperem. Experiar igitur quid & ego quoq; poſſim obijcere contra hoc, quod affirmat Grammatica, duo participia prouenire à verbis actiuis & neutralibus, vnum temporis præſentis, alterum verò futuri in *rus*.

Reſp. *Sed omittis (heus bone) quod eſt præcipuum in illa regula, nimirùm, ſi habeant illa verba ſupina.*

Quæſt. Præſtitiſſet non reuocâſſe hoc mihi in memoriam, quod, ſi vllum aliud, maximè pro me contra te facit.

Reſp. *Eò peior (ſi ita ſeſe res habet) mea eſt conditio. Sed videamus qua ratione demùm poſſit hoc mihi tantopere incommodare.*

Quæſt. Quia tu procul dubio (quantum coniecturâ aſſequi poſſum) falsò ſuſpicaris (ſeductus nimirum & deceptus hiſce Grammaticæ tuæ verbis) verba actiua, & neutra, quæ carent ſupinis, carere etiam hiſce participijs.

Reſp. *Quamodo non meritò carerent, cùm omnia futura in* rus *formentur à ſecundis ſupinis, addendo hanc ſyllabam* rus ?

Obiectio. Futurus. Oſurus.

Quæſt. Futurus & oſurus, num tu negabis eſſe participia futuri in *rus* ?

Reſp. *Non nego, vtpote quæ deducantur, primum ab antiquo & obſoleto verbo ſuo : ſecundum, à defectiuo odi.*

Quæſt. Sed horum neutrum habet ſupina : ergo

ergo reperiuntur verba nonnulla carentia ſupinis, quæ tamen formant participia in *rus*, quod modò negabas.

Reſp. *Hæc ſunt pauca, eáque partim defectiua,* Solutio.
partim etiam parùm vſitata.

Quæſt. Longè tu quidem falleris, nec eſt ferè Inſtantia.
quicquam frequentiore in vſu, quàm hæc participia.

Reſp. *Tu quidem longè maximus es nugator.* Solutio.
Non enim loquor de hiſce participijs, ſed de verbo-
rum, à quibus hæc deducuntur, ſupinis

Quæſt. Parùm refert. Conſtat enim hæc participia à nullo prouenire ſupino.

Reſp. *Non multa ſunt, nec proinde tanti ponde-*
ris & momenti, vt illorum gratia meritò dici poſſit
falſam eſſe Grammaticam.

Quæſt. Siue multa, ſiue pauca, faciunt con- Participia ir-
tra huius regulæ veritatem. Sed ecce tibi adhuc regularia.
plura: pariturus, naſciturus, ſonaturus, arguiturus, luiturus, eruiturus, noſciturus, moriturus, oriturus.

Reſp. *Quædam ex his deriuantur à verbis*
partim deponentibus; partim à verbis, quæ habent
ſupina.

Quæſt. Vt vt habeant verba deponentia, & alia ex hiſce ſupina, carent tamen multa ſupinis. Quæ verò deſcendunt à verbis ſupina habentibus, illa nihilominus degenerant à communi & vſitata formandi ratione. Quod ſi in his, quæ

carent

carent ſupinis, ad hoc confugias, vt dicas ſupponenda & fingenda eſſe ſupina, à quibus formentur prædicta participia, non tamen poſſunt regulariter ab illis formari.

Reſp. *Ego non video qua ratione non poſſint ritè formari, ſi des hanc ſupponendi ſupina veniam & libertatem, ſeu potiùs (vt rectiùs dicam) licentiam.*

Queſt. Si maximè ſupponere & fingere libeat, an non ſuppones ſupina regulariter formanda, vt exempli gratia: natum, natu, à naſcor: notum, notu, à noſco: ortum, ortu, ab orior: & ita in alijs iuxta regulares ſupinorum formationes?

Reſp. *Neſcio ſanè. Nam ſi hanc veniam concedas, ego pro meo commodo & bono ſupponam: Sed ſit, diſputandi gratia, vt tu ſuppoſuiſti.*

Queſt. Tunc huiuſmodi habebimus regulariter ſupina: naturus, noturus, orturus: & non naſciturus, noſciturus, orituru, & ita in reliquis. An non vides quàm te conſtrinxerim? Sed qua tandem ratione te expedies?

Reſp. *Non ſunt hæc participia analogica, hoc eſt, non ſunt regularia, ſed irregulariter formata, ac proinde ab vſitata formandi ratione excipienda.*

DISPVTATIO.

DISPVTATIO DE GERVNdijs & Supinis.

QVAESTIO.

An efficiant per seſe Gerundia & Supina diſtinctas orationis partes? vel vtrùm poſſunt ſub aliquâ octo partium orationis contineri? 33

QVæſt. Qui primus omnium diſputauit, condiſcipulus mihi chariſſimus (Auditores optimi) in ipſo ſtatim diſputationis ſuæ exordio, manibus pedibúſque obnixè laborauit, vt vnicam eſſe duntaxat orationis partem concluderet. Ego verò iure longè meliori probare mihi poſſe videor, plures eſſe orationis partes, quàm octo. Quod onus in me ſuſceptum, vt ſtudioſis adoleſcentulis occaſionem in argumentis ſimilibus exercendorum ingeniorũ ſuorum darem, rogo vt æqui boníque conſulant, & in partem meliorem interpretentur. Perſuaſus igitur de benigna illorum in me voluntatis propenſione, non plura moratus, tecum iam manus conferam, & congrediar (contubernalis amantiſſime), in quem omnes diſputationis huiuſce impetus conuertam, cuius tu inſultus vide, vt validè & intrepidè ſuſtinere queas. Accinge te igitur ad illa fortiter & ſtrenuè diluenda, Præfatiuncula.

da, quæ pro denario partium orationis numero, mox in medium afferentur.

Resp. *Quemadmodum in ipso mox initio disputandi, qui primas concertandi partes sustinuit, captiosè & sophisticè vnam esse solummodò orationis partem probare conabatur: ita pari ratione, fucatis & dolosis argumentis tu decem esse orationis partes euincere tentabis. Non enim potes hoc firmis & certis rationibus confirmare.*

Quæst. Probabo primùm esse plures orationis partes quàm octo: secundo loco ostendam necesse esse vt sint decem.

Resp. *Verborum es plenus, sed argumentorum prorsus inanis.*

Obiectio. *Quæst.* Imò iam nunc argumentor. Si sunt octo tantùm orationis partes, tunc nulla est dictio, quæ non possit ad harum aliquam referri: sed multæ sunt dictiones, quæ non possunt ad vllam octo partium orationis referri: ergo sunt plures orationis partes, quàm octo.

Resp. *Nulla est dictio, quæ non possit ad aliquam octo partium orationis referri.*

Gerundia & supina. *Quæst.* Gerundia & supina ad nullam octo partium orationis possunt referri: ergo sunt multæ dictiones, quæ ad nullam octo partium orationis referuntur.

Resp. *Referuntur gerundia & supina ad aliquam octo partium orationis.*

Quæst. Probo non posse referri ad aliquam quatuor

quatuor partium indeclinabilium.

Resp. *Leuabo te hoc onere. Libens enim hoc concedo.*

Quæst. Relinquitur ergo, vt referantur ad aliquam partium declinabilium.

Resp *Ita sanè?*

Quæst. Hoc nullo modo posse fieri, sic ostendo à particulari enumeratione vniuscuiusque partis. Nomina esse non possunt, quia regunt casus verborum. Pronominum certus est numerus, in quibus non reperiuntur gerundia & supina. Participia non sunt, quia non significant cum tempore. Verba denique esse nequeunt, quia non flectuntur modis & temporibus. Cum itaque neque referantur ad partes declinabiles, nec indeclinabiles, manifestè liquet esse plures partes orationis, quàm octo. Et cum nec sint gerundia, supina, nec supina; gerundia, non possunt sub vnâ & eâdem parte orationis contineri. Efficiunt ergo duas à se inuicem distinctas orationis partes, & consequentèr decem sunt orationis partes. Iam vides me firmis rationibus euicisse, quod nudis verbis obieceras me tantùm promisisse.

Decem esse orationis partes.

Resp. *Ouidianum illud Phaëtontis epitaphium in te quàm aptissimè conuenire videtur.*

Hic situs est Phaëton, currus auriga paterni;
Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Quæst. Quasi verò quippiam viribus meis impar,

impar, vel quod præstare non potuerim, in me susceperim.

Solutio.

Resp. *Præstitisti probè, tuo saltem iudicio. Verùm ad omnia hactenùs à te in hoc argumento obiecta, sic breuiter respondeo.*

Discors Grammaticorum de Gerundijs & Supinis sententia.

De Gerundijs, & Supinis magna olim fuit inter doctos contentio, ad quam orationis partem propriè referri debeant, nec dum inter illos composita est controuersia. Nam de hac re hodiè Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est. Sunt enim, qui illa referunt ad nomina, propter casuum terminalium similitudinem, quæ est nominibus cum illis in quibusdam casibus communis. Terminatione enim refert Gerundium in (di) *genitiuum singularem nominum secundæ declinationis: Gerundium in* (dum) *accusatiuum: Gerundium in* (do) *ablatiuum. Alij volunt esse Participia, propterea quòd verti videntur aliquando in participia futuri in* (dus). *Alij verba esse statuunt, propter agendi, & patiendi significationem. Nonnulli dicunt Gerundia esse verba participialia, quemadmodum & Supina.*

Quæst. Tu verò in tanta sententiarum & opinionum varietate, quid potissimùm sequendum esse statuis?

Resp. *Saluo semper aliorum iudicio, ego Grammaticæ nostræ partes tutandas esse arbitror, quæ docet Gerundia & Supina esse verbi quasdam voces ad modum infinitum pertinentes.*

Quæst. Sed non inflectuntur modis & temporibus.

poribus.

Resp. *Nullius est momenti hæc ratio, de qua tibi tantopere places, vt hoc loco eandem esse repetendam duceres.*

Quæst. Cur non repeterem, cum mihi antea ad hunc modum concludenti non responderis?

Resp. *Sit itaque tibi semel tandem hoc pacto responsum. Non requiritur, nec est omninò necesse, vt omnes verborum voces modis & temporibus inflectantur. Satis est, si ipsum originale Thema per modos & tempora, à terminatione in terminationem varietur. Cum igitur gerundia & supina pars sint quædam infiniti modi, cuius verbum primarium, siue radix (vt vocant Hebræi) sub alterna inflectendi serie per alios coniugandi modos ad ipsum infinitum ordine legitimo & consueto deducatur, non video cur non possint gerundia & supina (non obstante à te superius adducta ratione) in verborum alborite collocari. Atque hæc nobis pueris inter tot & tantas de hac quæstione à doctis agitatas controuersias, possunt meâ quidem sententiâ sufficere. Qui his non erit contentus, legat aliorum de hoc argumento copiosè & fusè scriptas tractationes.* Responsio de gerundijs & supinis.

Quæst. Sed priusquam finem huic disputationi imponam, illud mihi velim respondeas, quænam verba habeant gerundia & supina? Quæ verba habeant gerundia & supina.

Resp. *Personalia perfecta & regularia, ferè omnia, exceptis verbis passiuis: impersonalia verò nulla.*

Quæst.

Gerundia & supina vnde dicta.

Quæst. Iam si mihi potes de nominis ratione in gerundijs & supinis respondere, nolo te diutiùs hoc tempore detinere.

Resp. *Gerundia dici volunt, quòd rei gerendæ & administrandæ significationem exprimant. Supinis verò inde videtur nomen factum, quòd ante se casum non habent, vt placet Melanctheni, viro vndiquaque doctissimo, & de bonis literis optimè merito, in Grammatica Latina per Operinum Basileæ impressa, page. 198.*

Melancthon.

NOVA, ET IN TERTIA editione addita disputatio, *de quatuor orationis partibus* indeclinabilibus.

QVAESTIO.

34 *An quatuor sint partes orationis indeclinabiles? & an omnia sint vera, quæ de illis docet regia Grammatica?*

Præfatiuncula.

Quæst. De quatuor orationis partibus declinabilibus ita hucusque disputauimus, vt ferè nihil intactum reliquerimus; quod alicuius momenti videri possit, quo impediri & intricari queant iuniorum & imperitiorum animi, si fortè in aduersarios litigiosos inciderint: qui callidis & subdolis argumentis omnia in dubium

dubium vocare laborant. Soluimus enim & diluimus spinosas illorum argutias, obiectionésque nodosas enucleauimus, quibus minùs exercitatos & instructos in rebus Grammaticalibus turbare & irretire solebant; ita vt nullo ferè negotio, omnia quæ hic occurrunt alicuius difficultatis, facilè, si animum attendant, diluere & euitare queant, in hisce quatuor prioribus orationis partibus. Restat iam, vt paucis de reliquis quatuor partibus orationis indeclinabilibus inter nos familiariter differamus. Nam & hîc quoq; offerunt sese quædam obseruatu dignissima, quæ, si probè discutiantur & penitius examinentur, multum opis & auxilij adferent studiosis adolescentibus, aduersus captiosas sophistarum fraudes, quibus nonnihil negotij parùm cautis & improuidis exhibere poterunt. Dic ergo ingenuè an quatuor esse putes partes orationis indeclinabiles, de quibus nil nisi verum & certum affirmet Grammatica?

Resp. *Sunt quatuor partes orationis indeclinabiles, videlicet, aduerbium, coniunctio, præpositio, & interiectio: eáq; omnia sunt verissima, quæ de his habentur in Grammatica.*

Quæst. Licet hîc quæso bonâ tuâ cum veniâ paulisper tecum ludere & iocari, vt luculentius edas ingenij & acuminis tui specimen in ijs refutandis, quæ contra hasce orationis partes quasi per iocum mox obijciam; vt tandem

dem amoto, quæramus seria, ludo.

Resp. *Admitto conditionem. Et quia quodam in loco facetus esse voluisti, exhibe demùm facetiarum tuarum exemplum, vt & tecum ludere & iocari per te nobis fortassis quoque liceat.*

Quæst. Caue tamen, ne quid quasi ludens proferam contra hasce orationis partes, ad quod tu seriò nihil respondere queas.

Resp. *Tunc demùm me quàm maximè dignum iudices, quem meritò sannis tuis vexes, atq; iocis ludificeris.*

Quæst. Audi ergo argumentum iocosum sanè & facetum, quod sic contra te instituo. Aduerbium, coniunctio, præpositio, & interiectio sunt partes orationis omnes quidem declinabiles: frustrà igitur disputationem de partibus orationis indeclinabilibus instituimus, cùm nullæ omninò tales reperiantur.

Obiectio.

Resp. *Quæ tu ioco protulisse videris, necesse est vt seriò probes, nempè nullas esse omninò partes orationis indeclinabiles, ne & tu quoq; meritò ridendus videare.*

Quæst. Hoc sine vlla difficultate aut negotio ad hunc modum probabo. Aduerbium, coniunctio, præpositio, interiectio sunt nomina: declinantur igitur, & per consequens nullæ sunt partes orationis indeclinabiles.

Resp. *Spectatum admissi risum teneatis amici? Quis enim sibi à risu temperare possit, qui te tam*

pueriliter

pueriliter ludentem, & nugas agentem audierit?

Quæſt. Vnde tandem conſtabit me ludere & nugari?

Reſp. *Quia captiosè & ſophiſticè argumentaris à rebus ad voces. Sunt enim nuda hæc vocabula, aduerbium, coniunctio, præpoſitio, & interiectio, nomina: res autem per eadem vocabula ſignificatæ non ſunt nomina, ſed voces indeclinabiles.* Solutio.

Quæſt. Imò, & illa omnia quæ ſub eorum nominibus ſigillatim comprehenduntur, vel ſunt, vel eſſe poſſunt nomina. Inſtantia.

Reſp. *Doce hoc.*

Quæſt. Sufficiet vnica adducta authoritate, hoc oſtendiſſe (cætera enim ſunt eiuſdem generis), ne pluribus allatis exemplis, nimia prolixitate offenderem.

Reſp. *Paucis igitur, atq; adeò (ſi poteris) vno verbo hoc ipſum expedi.*

Quæſt. Martialis feſtiuè cum illo promiſſorum procraſtinatore Poſthumo ludens, qui ſe omnia cras daturum pollicebatur, poſt multa, ſic tandem (quod nôſti) infert. Cras. Martialis.

Dic mihi, cras iſtud (Poſthume) quando venit?

Reſp. *Quid hinc concludis?*

Quæſt. Adeon'es hebes & ſtupidus, vt quid hinc concludi poſſit, non facilimè perſpicias? Liquidò hîc conſtat (cras), quod vocabulum tu aduerbium eſſe non ignoras, eſſe nominatiui caſus ante verbum (venit), cum quo etiam con-

cordat pronomen istud, casu, genere, & numero. Est igitur nomen, ac proinde pars orationis declinabilis. Sic quoque si dixero, (&) est coniunctio copulatiua: (penes) est præpositio: (vah) est interiectio: nónne vides hasce voculas nominatiuos esse casus ante verbum est? Atque hoc idem in huiusmodi locutionibus, de omnibus alijs aduerbijs, coniunctionibus, præpositionibus, & interiectionibus affirmare licebit: sunt igitur omnes orationis partes declinabiles, cùm sint, vel esse possint nomina.

Resp. (*Cras*) *in illo Martialis loco non est reuera nomen, sicut nec reliquæ particulæ, quas tu exempli gratiâ in eiusmodi loquendi formulis subiunxisti; sed sunt quasi nomina, cum suppleant locum nominatiui ante sua verba. Vel si nomina esse concesſero, propriè tamen non ita sunt, sed* τεχνικῶς; *siue artificialiter, & materialiter, vt alij loquuntur Grammatici; inter quos est summæ eruditionis vir, Philippus Melanchthon, quem, honoris causſa nomino.*

Alia instantia. *Quæst.* Non improbanda est tantorum virorum authoritas, mihi tamen videntur multa aduerbia esse nomina, quia admittunt tres gradus comparationis, instar nominum.

Solutio. Resp. *Insulsa admodùm, & insipida est hæc argumentatio, nihilq; firmiter concludens, cum ex solis constet particularibus. Sic enim necesse est vt ratiocineris: Quædam nomina comparantur: quedam*

dam aduerbia comparantur: ergo quædam aduerbia sunt nomina. Concludis præterea affirmatiuè in secunda figura, quod sit contra artis præcepta.

Quæst. Plura adhuc habeo contra quatuor hasce partes indeclinabiles obijcienda, sed aptius illa tractabuntur fortassis in regulis, quæ de hisce traduntur in fine Syntaxeos, ad quem locum hæc reijciemus, pergemúsque iam deinceps de tribus concordantijs, de casuum regimine, reliquísq; constructionis præceptionibus disputare.

Resp. *Triuialium Scholarum studiosis adolescentibus rem meâ quidem sententiâ gratam & iucundam aggrederis; vt & hic quoq; habeant, quibus contra sophistarum fraudes & aduersariorum obiectiones, abundè instruantur.*

DISPVTATIO DE TRIBVS CONcordantijs, ac primùm de prima *inter nominatiuum & verbum* personale.

QVAESTIO.

An semper cohæreat verbum personale cum suo nominatiuo, numero & persona? 35

QVæst. Abundè satis in superioribus est disputatum (viri amplissimi) de quatuor declinabilibus Præfatiuncula.

clinabilibus orationis partibus, quemadmodum diuisim & seperatim per sese extra constructionem considerantur. In hisce verò multa vtrinque sunt dicta, tam ad oppugnandam, quàm propugnandam regularum Grammaticalium, quæ de his partibus traduntur, veritatem; quibus in tertiâ demùm editione, tractatiunculam quoq; breuem adiunximus de quatuor orationis partibus indeclinabilibus: ex quibus ritè pensitatis non parua ad rei literariæ in scholis triuialibus tyrones, redire queat vtilitas & emolumentum. Deinceps autem de eisdem iterum est mihi, & nonnullis alijs agendum, non tamen iam diuisim & seperatim, vt antea, sed quatenus debitè & legitimè inter sese in Syntaxi siue constructione componuntur & connectuntur. Hìc verò proponitur satis amplus & spatiosus disputandi campus, sed nos, ordine quisq; suo, sicut est à præceptore benignissimo demandatum vnicuique & iniunctum, pauca quædam hinc illinc delibabimus; de quibus pro ingeniorum nostrorum modulo & mediocritate, inter nos pro scholæ nostræ laudabili instituto, vestra freti humanitate & clementia, mutuò disceptabimus. Ne igitur vos diutiùs longiore aliqua oratione dubios & suspensos teneam ego, cui primæ hoc tempore incumbunt disputandi partes, agam tecum primo loco (aduersarie) de prima Concordantia, si mihi priùs

expedias

expedias quid ſit conſtructio, quia de conſtructionis regulis magna ex parte in ſequentibus eſt agendum.

Reſp. *Conſtructio (prout illa in Grammatica noſtra definitur) eſt debita partium orationis inter ſe compoſitio connexióque, iuxta rectam Grammatices rationem.* Conſtructio quid ſit.

Quæſt. Quæ verò cenſenda eſt bona & legitima conſtructio?

Reſp. *Quæ veterum probatiſſimi tum in ſcribendo, tum in loquendo ſunt vſi.*

Quæſt. Sed veterum probatiſſimi tum in ſcribendo, tum in loquendo, barbarè locuti ſunt: ergo barbara locutio eſt conſtructio. Obiectio.

Reſp. *Ex veterum probatiſſimis nullus vnquam barbarè vel ſcripſit, vel locutus eſt.*

Quæſt. Ex veterum probatiſſimis quidam peccauit ſcribendo & loquendo contra regulas traditas de prima concordantia verbi & nominatiui: ergo & barbarè ſcripſit & locutus eſt, vt tandem veniam ad quæſtionem propoſitam.

Reſp. *Quis eſt ille demùm ex veteribus tam probatus ſcriptor, qui ſic vel ſcripſerit, vel locutus eſt?*

Quæſt. An non tibi videtur M. T. Cicero probatus author, quem tutò in ſcribendo, & loquendo imitari poſsimus?

Reſp. *Imò ſanè vel ſolus probatiſſimus, vtpote*

te omnium Latinorum Scriptorum facilè princeps.

Quæst. Ille verò in oratione pro lege Manilia mihi non satis videtur congruè locutus. Iungit enim ibidem loci verbum primæ personæ cum nominatiuo tertiæ personæ.

Resp. *Citato locum. Non est enim tibi tanta apud me fides, vt nudis tuis verbis credam.*

Cicero pro lege Manilia.

Quæst. Locus est huiusmodi. Ij nullo in loco prædonibus iam pares esse poteramus.

Resp. *Quid hîc reperis, quo, iure possis labefactare veritatem primæ concordantiæ?*

Quæst. Verbum (poteramus) primæ est personæ. Nosti autem (opinor) cuius sit personæ eiusdem nominatiuus Pronomen (ij) in hac sententia.

Solutio.

Resp. *Scio pronomen (ij) esse tertiæ personæ, ac proinde mendosè scriptum esse hoc loco arbitror (ij) pro (ijs), vt referatur potiùs ad substantiuum prædonibus, non autem ad verbum poteramus.*

Instantia.

Quæst. Hæc tua nuda est coniectura, nec veritati consona. Sed dabo, quò facilius hæc loquendi ratio non tibi ita noua & inaudita videri possit. Sic enim Liuius libro sexto: Vidistis in vincula duci vniuersi eum, qui à singulis vobis pericula depulerim. Et rursus libro trigesimo: De pace agitur, agimúsque (ij) quorum & maximè interest pacem esse: & qui, quodcunque egerimus, ratum ciuitates nostræ habituræ sunt.

Liuius.

Resp.

Resp. *Quid si hic respondeam, non esse hoc vocabulum (y) nominatiuum ante verbum in hisce exemplis à te modo productis, sed subaudiri pronomen (nos) pluralis numeri, & primæ personæ, cum quo conueniat verbum eiusdem numeri & personæ?* Solutio.

Quæst. Vt hoc ego tibi dem, melioris responsionis penuriâ laboranti, non tamen hac ratione adhuc mihi satisfecisti. Necesse enim est, vt fateare relatiuum (ij) eiusdem esse debere personæ cum eius antecedente (nos) primæ personæ. Non potes itaque hac ratione, nisi in illud quod æquè est ac priùs absurdum incidas, respondere.

Resp. *Hæc ergo ipsa loca, quibus benè confirmâsti Ciceronis loquendi rationem, aptam etiam & promptam mihi suggerent respondendi viam. Ex his namque coniecio pronomen (is) aliquando primæ personæ significationem habere.* Pronomen (is) primæ personæ aliquando.

Quæst. Sed non sunt plura pronomina primæ personæ, quàm (ego) & (nos).

Resp. *Idem etiam tribus personis iungi potest, si sit Grammaticæ fides adhibenda, quæ docet ibidem: ipse, solum ex pronominibus trium personarum significationem repræsentare.*

Quæst. Sed non affirmat Grammatica pronomen (is) trium personarum significationem repræsentare.

Resp. *Sed tamen hoc ipsum confirmant loca à te priùs*

priùs citata. Euincit verò Idem ratio manifesta. Nam si Idem compositum ab(is)trium personarum significationem habeat, cur non & simplex(is)trium personarum significationem repræsentaret?

Instantia. *Quæst.* Non sunt igitur(idem)&(is) pronomina. Et sic incidis in Scyllam, dum vis vitare Charybdim.

Resp. *Ego non video qua ratione possis hoc rite ex meis verbis concludere.*

Quæst. Imò quàm rectissimè, ita vt hoc ipsum cuiuis non prorsus de industriâ cæcutienti, luce meridiana clariùs apparere queat. Nam si verum esse fateare, quod priùs ex ipsa Grammatica citaui, scilicet, ipse ex pronominibus solùm trium personarum significationem repræsentare: vel non erunt(is)& (idem)pronomina, vel trium personarum significationem non habebunt.

Solutio. Resp. *Hunc ego nodum videor mihi duobus*

1 *modis posse soluere. Primùm igitur dico idem & is non esse propriè pronomina; posse tamen pronominum numero non immeritò addi, quod & ipsa Gramma-*

2 *tica verbis quidem disertis affirmat. Deinde aio, Ipse solùm ex pronominibus trium personarum significationem repræsentare, videlicet vsitatissimè & frequentissimè: idem verò & is minùs vsitatè & frequenter, sed tamen aliquando, vt in exemplis superioribus est videre.*

Quæst. Ego nolo tecum verbosiùs hac de re

re contendere. Habeo tamen alia, eáque maioris momenti & ponderis, quæ contra hanc primam concordantiam obijciam.

Resp. *Obijce quandocunque libuerit. Hoc enim pacto spero futurum, vt magis confirmetur, quàm infirmetur regularum Grammaticalium veritas.*

Quæst. Experiar ergo quid possis ad tritum illum Ciceronis locum respondere, qui extat in libello Epistolarum familiarium primo, à Ioanne Sturmio, ætatis nostræ Cicerone altero, in vsum Scholarum triuialium collectarum, Epistolâ (ni fallor) numero vndecimâ, cuius hæc sunt verba: Quintus autem pater & filius Buthroti soliciti eramus de tua valetudine. Alia obiectio.

Resp. *Mira mihi videtur hæc locutio, de qua non satis constat quid sit statuendum, si tu fideliter & candidè, sine dolo malo eandem citaueris.*

Quæst. Si mihi citanti non credis, consule libros omnes Londini excusos, vbi eodem prorsus modo in omnibus exemplaribus scriptum inuenies. Me autem ipsum (vt quod res est, ingenuè fatear) diu, multúmque aliquando torquebat hic locus. Hîc autem apertè vides Ciceronem incongruè esse locutum, vel saltem falsam esse tuam Grammaticam; quæ docet verbum personale cum nominatiuo concordare, numero & persona. Sunt enim nominatiui singularis numeri, verbum verò pluralis. Vtrum horum mauis, accipe. Sic scriptum erat in omnibus exemplaribus. sed iam fortassis emendantur.

Resp.

Regula Grammaticalis.

Resp. *Quod de numeri discrepantia obijcis, ego facilime diluere possum. Talis enim habetur regula alicubi in Grammatica: Multi nominatiui singulares per coniunctionem copulatiuam connexi, verbum postulant plurale.*

Quæst. De numero bene tu quidem respondisti. Quid autem ais de persona?

Persona.

Resp. *Hic video longè maiorem esse difficultatem. Sequitur enim in regula supra citata debere in huiusmodi locutionibus verbum concordare cum nominatiuo dignioris personæ. Hîc autem cum vterque nominatiuus sit tertiæ personæ, fateor esse necesse, vt & verbum quoque sit tertiæ personæ.*

Quæst. Vides tamen esse primæ. Expecto igitur quid tandem respondeas.

Resp. *Dico in hac sententia subaudiri nominatiuum nos, vt sit hoc loco figura Euocationis ad hunc modum: nos Quintus pater & filius, &c. soliciti eramus de tua valetudine.*

Quæst. Non sinunt proximè præcedentia in ipso statim epistolæ initio, vt ita absurdè hunc locum interpreteris, Sic enim scribit Cicero: Septimum iam diem Corcyræ tenebamur. Quintus autem pater & filius Buthroti, soliciti eramus de tua valetudine. In membro priore loquitur de seipso, & de ijs, qui cum illo erant: in posteriore verò de Quinto patre & filio.

Resp. *Restat ergo vt dicam esse hîc Enallagen personæ, videlicet: soliciti eramus, pro soliciti erant.*

erant.

Quæst. Sed huiuſmodi Enallages nunquam reperies aliud ſimile exemplum. Quare nullo modo admittere poſſum hoc tuum reſponſum.

Reſp. *Si tibi minùs ſatisfacit hæc reſponſio, quæ quidem nuda nititur mei ipſius coniectura, quæſo, vt tu ipſe meliorem, ſi poſſis, adferre digneris.*

Quæſt. Faciam, idque hoc libentiùs, ne iunioribus ampliùs hic locus imponat, qui ritè & dextrè explicatus, nihil omninò difficultatis in ſeſe cõtinet. Eſt enim hîc manifeſtus & fœdus error Typographorum. Perperã namque diſtinguitur in omnibus, quæ quidem mihi cõtigit videre, exemplaribus Londini excuſis. Sic autem eſt reſtituendus. Septimum iam diem Corcyræ tenebamur. Atque hic plena eſt diſtinctio. Sequitur deinde noua ſententia: Quintus autem pater & filius Buthroti. Vbi denuò eſt plenè diſtinguendum. Significátque Quintum patrem vnâ cum filio detentos fuiſſe Buthroti, quod erat oppidum Italiæ. Pergit porrò, nouámque ſententiam inchoans, ſcribit in hunc modum: Soliciti eramus de tua valetudine. Error Typographicus.

Reſp. *Iam tandem video facilimum eſſe, quod modò difficilimum eſſe iudicaui. Satis enim manifeſtè nunc apparet, non eſſe Quintus pater & filius nominatiuum verbo (ſoliciti eramus) ſed verbo tenebantur, quod in ſententia præcedente ſubauditur.*

Nominatiuus

Nominatiuus verò verbo (ſoliciti eramus), à quo inchoatur ſequens, & noua ſententia, eſt pronomen Nos, quod hic quoq; ſubintelligitur.

Quæſt. Rectiſſimè nunc demum reſpondes. Ego autem cùm hunc locum primò citaui, hoc tantùm ſpectabam, vt inde occaſione arrepta monerem ſtudioſos adoleſcentes, vt intenti eſſent ſedulò in huiuſmodi erratis Typographicis tùm animaduertendis, tum etiam vel ſuâ, vel aliorum ope corrigendis, in rudiorum præſertim gratia; ne qua fraus illis hac ratione fiat, vel in errorem, eúmque aliquando non leuem, incautiùs fortaſſis inducantur. Sed his omiſſis, arctiùs te adhuc vrgebo, producto vno atque altero exemplo ex Virgilio, Latinorum poëtarum facilè prinripe, quibus videtur labefactari poſſe hoc, quod tradunt Grammatici de concordantia verbi perſonalis cum ſuo nominatiuo, numero & perſona.

Reſp. *Eſt quidem meo iudicio Virgilius omnium Poëtarum Latinorum facilè princeps; ex quo, non puto te poſſe aliquid proferre, quod faciat contra Grammaticæ authoritatem in hac quæſtione.*

Alia obiectio. *Quæſt.* Sic loquitur Virgilius in libro ſecundo Æneidos: Diuellimur inde Iphitus, & Pelias mecum.

Reſp. *Quid hic habes, quo probes verbum perſonale cum nominatiuo non conſentire numero & perſona?*

Quæſt.

Quæst. Verbum diuellimur est pluralis numeri, nominatiuus autem vterque singularis numeri. Mala igitur, imo verò nulla est hoc loco cohærentia inter verbum personale & eius nominatiuum.

Resp. *Copulatum per coniunctionem &, ac, neq, æquiualet plurali. Tametsi ergo Iphitus, & Pelias sint singularis numeri, verbum nihilominùs requirunt plurale, iuxta regulam, quia per coniunctionem copulatiuam (&) copulantur.*

Quæst. Vt vt tamen sit hîc numerorum concordia, non parua est personarum discordia, cùm verbum sit primæ personæ, nominatiuus verò tertiæ. Et videtur sic potius loquendum fuisse Virgilio: Iphitus, & Pelias diuelluntur inde mecum, quemadmodum & alibi scriptum reperimus: Rhemus cum fratre Quirino iura dabant, non dabamus.

Resp. *Respondeo esse hoc loco figuratam constructionem. Intelligitur autem illa regula de concordantia verbi personalis & nominatiui, de simplice constructione.*

Quæst. Quid hoc ad rem, sitne constructio figurata an simplex? Si non sit conuenientia verbi cum nominatiuo numero & persona, barbara & incongrua sit locutio, necesse est.

Resp. *At ne conuenit verbum cum nominatiuo etiam persona. Nam cum concurrunt nominatiui diuersarum personarum, verbum debet persona* Solutio superioris obiectionis.

conuenire

conuenire cum nominatiuo dignioris personæ. Est autem dignior prima persona, quàm tertia.

Instantia. *Quæst.* Sed nulla est hîc persona alterâ dignior. Est enim vterque nominatiuus Iphitus & Pelias, tertiæ personæ. Non est autem tertia persona, tertiâ personâ dignior.

Solutio. Resp. *Quàm tu astutè & subdolè illud supprimere conaris, quod contra te facit? Nonne videsnim esse in hac sententia pronomen mecum primæ personæ, cum quo conueniat persona verbum (diuellimur) eiusdem personæ?*

Instantia. *Quæst.* Pulchrè tu quidem respondisti. Cuius quæso casus est mecum?

Resp. *Ridiculum est te me rogare istuc. Scit enim quilibet ferè Alphabetarius, pronomen mecum esse ablatiui casus.*

Quæst. Tu itaque multò magis es ridiculus, qui de allijs interrogatus, de cepis respondere soles; hoc est, qui pro nominatiuo, ablatiuum nobis obtrudis, cum quo verbum diuellimur, persona cohæreat.

Solutio. Resp. *Sed (heus tu) in huiusmodi locutionibus, vbi copulantur multæ dictiones per coniunctionem copulatiuam ante verbum concurrentes, ablatiuus supplet locum nominatiui.*

Instantia. *Quæst.* Vt ego hoc tibi dem, non est tamen (cum in mecum) coniunctio copulatiua, sed præpositio regens ablatiuum.

Solutio. Resp. *Quid tum postea? Accipitur in huiusmodi*

di locutionibus pro coniunctione copulatiua (&). Perinde enim valet hæc locutio: Diuellimur inde Iphitus, & Pelias mecum, acsi diceretur alijs verbis: Iphitus, & Pelias, & ego diuellimur inde. Ita etiam in altero paulò antè citato exemplo: Rhemus cum fratre Quirino iura dabant: idem est acsi diceret: Rhemus & frater Quirinus iura dabant.

Quæst. Non habeo quod culpem in hac responsione: vnum tamen adhuc obijciam in quæstione proposita, postea verò te dimittam. Habet Virgilius in eodem libro secundo Æneidos hæc verba: Alia obiectio.

——— *mihi sacra parari,*
Et salsæ fruges, & circum tempora vittæ.

Quænam quæso est hoc loco cohærentia verbi cum suo nominatiuo, numero, & persona?

Resp. *Ostende tu, si possis, quænam sit hîc discrepantia?*

Quæst. Fateris verbum personale cohærere cum suo recto, numero & persona. Non potest autem verbum (parari) cum nominatiuo (sacra) hoc modo conuenire. Non est itaq; verum, quod affirmat Grammatica, verbum personale cum nominatiuo cohærere numero, & persona.

Resp. *Quare non conuenit verbum (parari) numero & persona cum nominatiuo sacra?*

Quæst. Nôsti (opinor) verbum (parari) esse

infinitiui modi. Habet verò infinitiuus modus neq; numerum, nec perſonam: non poteſt ergo numero & perſona concordare cum nominatiuo (ſacra) pluralis numeri & tertiæ perſonæ.

Reſp. *Eſt tamen vſitatiſſimus & frequentiſſimus hic loquendi modus, non ſolùm apud Poëtas, ſed etiam apud Oratores.*

Quæſt. Qua ratione igitur defendis hunc tam vſitatum & frequentem loquendi modum?

Solutio. Reſp. *Dico hanc eſſe figuratiuam loquendi rationem.*

Quæſt. Sic tu ſoles omnia ferè excuſare. Sed quænam ſubeſt in hac ſententia figura?

Enallage. Reſp. *Eſt figura Enallage, quâ ferè non occurrit in lectione probatiſſimorum authorum alia frequentior.*

Quæſt. Quid eſt Enallage?

Reſp. *Eſt figura, per quam ponitur numerus pro numero, caſus pro caſu, genus pro genere, tempus pro tempore, modus pro modo: & aliquando etiam vna pars orationis pro altera.*

Quæſt. Ad quam ſpeciem horum refers hanc ſententiam?

Reſp. *Eſt hîc Enallage modorum, infinitiuus pro indicatiuo, parari, pro parabantur: Vel poſſum reſpondere quòd in huiuſmodi locutionibus ſubintelligitur verbum cœpêrunt, vel aliquid ſimile; vt ſa-*

cra

era parari, id est, cœperunt parari. Sed disputent iam alij,

DISPVTATIO DE SECVNDA CONcordantia, Substantiui & Adiectiui.

QVAESTIO.

An Adiectiuum cum Substantiuo, casu, genere & numero semper consentiat? 36

Prefatiuncula.

Quæst. Non ea est ingenij mei facultas (Auditores optimi) vt verbis disertis, aut Rhetorum floſculis exornata oratione vestræ expectationi queam satisfacere. Non enim in illorum scholis vnquam fui versatus, nec illorum facundis præceptis imbutus. Ignoscetis igitur mihi, si de rebus Grammaticis tractaturus, eásdem Grammaticè, & non Rhetoricè prosequutus fuero; hoc est, si Latinè & purè, non autem eloquenter & facundè apud vos disseram. Quare omissa longiore aliqua præfatiuncula, ad rem ipsam me breuiter accingam, & quid possit hìc aduersarius meus pro regularum Grammaticalium de concordantia Adiectiui & Substantiui veritate respondere, paucis experiar. Quæro itaq; an semper cohæreat Adiectiuum cum Substantiuo genere, numero, & casu?

Resp. *Adiectiuum cum Substantiuo genere,*

numero, & casu consentit.

Obiectio. *Quæst.* Non possum hoc meliùs falsum esse ostendere, quàm si hoc exemplum produxero: Habet duos gladios, quibus, altero te occisurum minatur, altero villicum. Agnoscis (opinor) hanc sententiam.

Resp. *Memini me legere, sed iam non facilè mihi in mentem occurrit, vbi scriptam legerim.*

Quæst. Ego tibi in mentem reuocabo. Video enim tibi valdè labilem esse memoriam, in ijs præsertim quæ contra te faciunt. In figuris Constructionis habetur, nempè in figura Antiptosi.

Resp. *Iam scio. Sed videtur mihi non solùm labilis esse tua memoria, sed etiam manca, imò verò nulla potiùs, qui hoc exemplo probare conaris Adiectiuum cum Substantiuo non consentire casu, genere, & numero. Longè enim alium in finem adducitur ibidem hæc sententia, vt doceatur scilicet (quibus) poni pro (quorum) hoc est, casum pro casu, ablatiuum pro genitiuo.*

Quæst. Mane dum. Festina quæso lentè. Canis festinans cæcos parit catulos. Audi quæ restant à me dicenda. Nondum enim perueni, quò volebam. Ego fortassis hinc eliciam illud, de quo tu nunquam hactenus ne cogitasti quidem, & tecum etiam perpauci alij.

Resp. *Multa tu tibi de teipso, & satis magnificè (ne dicam) Thrasonicè polliceris. Parturiunt*

montes

montes, nascetur ridiculus mus.

Quæst. Sed tamen amoto quæramus seria ludo. Nam si tu seriò hæc tecum pensitaueris, inuenies tandem participium (occisurum) genere non consentire cum Substantiuo (te).

Resp. *Quid ita Quæso? An non est tu masculini generis, quemadmodum & participium occisurum, hoc loco?*

Quæst. Scio pronomen (tu) esse aliquando masculini generis, aliquando item fœminini, nonnunquam etiam neutrius generis, sed habita illius rei ratione, de qua sit sermo. Atque ita in hac sententia contendo esse fœminini generis, quia intelligitur de puella, Casina videlicet, de qua loquitur Plautus in Comœdia, quæ inscribitur Casina; vnde deprompta est hæc sententia, ac proinde participium (occisurum) genere non conuenit cum subſtantiuo (te), quæ hoc loco est fœminini generis. Plautus in Casina.

Resp. *Si tu hæc vera prædicas, respondebo hoc loco esse erratum Typographicum, nempè scriptum esse occisurum, pro occisuram.*

Quæst. Error Typographicus esse non potest, cùm in omnibus, quæ huc vsque extiterunt exemplaribus scriptum sit occisurum, non occisuram.

Resp. *Est igitur Synthesis figura, hoc est, oratio congrua sensu, non voce.*

Quæst. Imò potiùs est oratio congrua voce,

non ſenſu. Si enim nudam vocem (te) conſideres, poteſt occiſurum cum eádem conſentire genere, ſenſu verò non poteſt, quia dicitur de fœmina.

Vera ſolutio loci ſuprà citati.

Reſp. *Eſt igitur occiſurum hoc loco non participium, ſed futuri temporis verbum infiniti modi.*

Quæſt. Ego tecum ſentio, niſi aliter fortaſſe videatur doctiſſimo iudici, cuius eſt in hac parte meritò ſtandum iudicio.

37 Secunda diſputatio in hac ipſa quæſtione.

Præfatiuncula.

Quæſt. Cùm tam ſtrenuè & fortitèr ictus meos ſuſtinueris in primo noſtro cõgreſſu & pugna de Adiectiui & ſubſtantiui concordantia: ego te denuò adoriar non diſſimili argumento in eâdem quæſtione, quo magis conſtet eiuſdem regulæ veritas & certitudo.

Reſp. *Omitte (quæſo) verborum ambitus, vt & alijs relinquatur diſputandi tempus.*

Cato libro quinto Originum.

Quæſt. Ego tibi monenti parebo, & ex Catonis libro quinto Originum probabo adiectiuum non ſemper conſentire cum Subſtantiuo, caſu, genere, & numero.

Reſp. *Nihil ego libentiùs audire cupio, quàm vt tu ſolidè hoc quod in te ſuſcipis, tandem aliquando probare poſſis.*

Quæſt. Hæc ſunt verba illius in loco ſupra citato: Illi polliciti ſeſe facturum omnia. In hac

hac ſententia Participium (facturum) eſt ſingularis numeri, ſubſtantiuum autem (ſeſe) pluralis: falſa ergo eſt regula de concordantia Adiectiui & ſubſtantiui.

Reſp. *Intelligenda eſt regula de ſimplice conſtructione, vbi ſemper Adiectiuum & Subſtantiuum eiuſdem ſunt caſus, generis, & numeri, ſed in figurata conſtructione non item.*

Quæſt. Si vis hanc conſtructionem eſſe figuratam, dic tandem per quam figuram?

Reſp. *Opinor hîc eſſe Enallagen numeri, hoc eſt, ſingularis pro plurali, facturum pro facturos.*

Quæſt. Quid igitur ad hoc Quinti Quadrigarij in duodecimo Annali, reſpondes? Eſt quod ſperemus deos bonis benefacturum. Quintus Quadrigarius.

Reſp. *Idem reſpondeo quod ad priùs à te allatum exemplum, eſſe ſcilicet hîc quoque Enallagen numeri, ſingularis pro plurali, benefacturum pro benefacturos.*

Quæſt. Mira mihi admodum videtur hæc Enallage, cuius vix alia inueniri poſſunt ſimilia exempla. Sed pergam itidem oſtendere maiorem adhuc diſcrepantiam Adiectiui à ſubſtantiuo. Hoc enim exemplum adduci ſolet in hunc finem, ex libro quarto Valerij Antiatis: Aruſpices dixerũt omnia ex ſententia proceſſurum. Laberius item quidam in Gemellis: Non putaui, inquit, hoc eam facturum. Quid tu ad hæc tandem? Valerius.

Resp. *Primò non mihi videri ex tua pharetra hæc esse deprompta. Vnde enim tibi copia authorum tam antiquorum, quorum ne nomina quidem vnquam anteà (quod memini) audiui. Secundò, in hisce quoque exemplis esse Enallagen: in primo quidem numeri, singularis pro plurali, processurum pro processura: in altero verò generum, neutrius vel masculini pro fœminino, facturum pro facturam.*

Quæst. Ex cuiuscunque pharetra ego hæc tela deprõpserim, tua profectò responsa tam absurda sunt, vt facilè potest quiuis ex tua ipsius officina petita esse iudicare. Ego verò fateor hæc Petri Rami, viri vndiquaque doctissimi, esse exempla ex illius scholijs Grammaticalibus desumpta. Docet autem ille in omnibus hisce, & alijs similibus exemplis, voces hasce quæ videntur participia, esse reuera verba infiniti modi formæ actiuæ, & futuri temporis. Huic ergo debebis veram huius obiectionis solutionem: ego autem non vlterius in hac quæstione oppugnanda immorabor.

Petrus Ramus.

Vera solutio superiorum exemplorum.

38 Tertia disputatio in eâdem quæstione.

Præfatiuncula.

Quæst. Satis profectò fœliciter est hactenùs ab alijs de quæstione proposita disputatum, quibus acriter & animosè inter sese concertantibus dum aures benignas accommoda-

stis

ſtis (viri ſpectatiſſimi), neſcio quam mihi ſpem hoc facto feceritis, vt & ego animo promptiore & alacriore in eádem palæſtra coram vobis omnibus decertarem; onúſque à præceptore humaniſſimo impoſitum meis viribus longè maius, æquiore mente in me ſuſciperem; perſuaſus vos æqui bonique conſulturos, ſi quid, vel ob ætatem puerilem, vel ingenij tenuitatem per imprudentiam fortè deliquero. Accingam me igitur ad prælium, ſermonémque omnem iam à vobis in aduerſarium, quem hîc coràm aſtantem cernitis, conuertam; viriúmque illius in hac de adiectiui & ſubſtantiui concordantia, periculum faciam. A te quæro igitur (aduerſarie fortiſſime), num te ſatis ſtrenuum & fortem eſſe arbitreris, ad tutandam & defendendam regulam illam Grammaticalem ſatis profectò tritam & notam de concordantia adiectiui & ſubſtantiui?

Reſp. *Non eſt quòd de hac re dubites, qui me priùs videris aliorum tela in me coniecta ſucceſſu ſatis dextro & fœlici ſuſtinuiſſe.*

Quæſt. Non rarò tamen fieri ſolet, vt qui aliquandiu ſtrenuè & fortiter ſeſe pugnando geſſerit, abiectis armis poſtea turpiter aufugiat.

Reſp. *Degeneres animos timor arguit, haud ego quenquam formidans fugiam, veniam quocunque vocabis.*

Quæſt.

Quæst. Cum tibi tantum de viribus & robore tuo pollicearis, videamus aliquando qui vir ſies, quàmque ſis ad reſpondendum paratus in hoc ipſo, de quo eſt iam agendum, argumento.

Reſp. *Propone quæ volueris, in me mora non erit vlla.*

Quæſt. In quibus conueniunt adiectiuum & ſubſtantiuum?

Reſp. *Adiectiuum eiuſdem caſus, generis & numeri cum ſuo ſubſtantiuo eſſe debet.*

Quæſt. Videtur Terentius non magnam huiuſce in ſcribendo regulæ rationem habuiſſe.

Reſp. *Quam potes ex illo ſententiam citare, vbi neglexiſſe illum appareat adiectiui cum ſubſtantiuo concordantiam?*

Quæſt. Citiùs me tempus, quàm oratio deficeret, ſi omnia, quæ poſſem in hunc finem, proferrem teſtimonia. Loquitur autem Terentius ad hunc modum in Phormione: Nunquam (inquit) æquè ac modo paupertas mihi viſum eſt onus, & miſerum, & graue.

Terentius.

Reſp. *Quomodo ex his verbis euinces, quod priùs affirmâſti?*

Quæſt. Adiectiuum (viſum) neutrius eſt generis, eius verò Subſtantiuum (paupertas) fœminini: non conuenit itaque adiectiuum cum ſubſtantiuo, caſu, genere & numero.

Obiectio.

Reſp. *Viſum eſt, videtur hoc loco eſſe verbum*

Solutio.

præteriti

præteriti temporis, non autem adiectiuum. Concordat igitur numero & persona cum nominatiuo (paupertas).

Quæst. Tu videris parum pensi habere, quid respondeas. Nam si tibi concederem (visum est) esse verbum, cum tamen fiat hîc circumlocutio per verbum substantiuum (est) & participium (visum) præteriti temporis, necesse est, vt concordet genere, casu & numero cum substantiuo (paupertas). Instantia.

Resp. *Magna est tua paupertas, qui melioris obiectionis penuria laborans, ita perperàm concludere conaris. Non enim refertur participium (visum) ad præcedens substantiuum (paupertas), sed ad sequens substantiuum (onus), cum quo concordat genere, numero & casu.* Alia solutio.

Quæst. Onus sequitur verbum, si vis (visum est) omninò esse verbum, non autem præcedit. Instantia.

Resp. *Verbum inter duos nominatiuos diuersorum numerorum positum, cum alterutro conuenire potest.* Solutio.

Quæst. Sed non sunt hîc nominatiui diuersorum numerorum. Instantia.

Resp. *Si verbum conueniat cum alterutro nominatiuorum diuersorum numerorum, multo rectiùs conuenire potest, si sint eiusdem numeri.* Solutio.

Quæst. Hîc tamen ad illud recurro, quod priùs est à me obiectum, nempè non esse vocē visum, verbum, sed adiectiuum participiale. Instantia.

Resp.

Solutio. Resp. *Nihil refert. Relatiuum enim inter antecedentia diuersorum generum collocatum, aliquando cum priore, aliquando verò cum posteriore conuenire solet.*

Instantia. *Quæst.* Non dices opinor vocem (visum) esse relatiuum, & per consequens, pronomen, quod modò participium esse affirmâsti, nisi ex eodem ore & eodem spiritu calidum & frigidum efflare queas. Quòd si hoc sis hominis, ego profectò nullum habebo prorsus tecum deinceps commercium.

Solutio. Resp. *Loquacior & verbosior es longè, quàm par est. Nihil est in verbis meis ritè perpensis incommodi & absurdi. Nõn minùs enim conuenire potest adiectiuum cum alterutro substantiuorum diuersorum generum, quàm relatiuum cum eiusdem naturæ antecedentibus.*

Quæst. Probè tu sanè tuas in hac quæstione partes es tutatus. Liberum iam esto alijs, si volent, de tertia concordantia inter relatiuum & antecedens concertare.

DISPVTATIO

DISPVTATIO DE CONCORDANTIA tertia relatiui & antecedentis.

QVAESTIO.

An relatiuum cum antecedente concordet genere, numero & persona? 39

Prefatiuncula.

QVæſt. De regulæ illius veritate, quæ habetur in Grammatica de concordantia relatiui & antecedentis, placuit præceptori, vt ego cum condiſcipulo hoc meo chariſſimo, hac ipſa hora apud vos (Auditores optimi) diſceptarem. Mos eſt itaque illius voluntati gerendus, maiórque mihi habenda officij, quàm facultatis ratio. Vos autem omnes maiorem in modum quàm poſſum vehementer rogatos volo, vt clementer & attentè nos decertãtes audire dignemini. Spero enim non iniucundam hanc noſtram inter nos mutuò velitationem vobis omninò futuram. Si tu igitur (ſuauiſſime contubernalis) tam ſis ad propugnandam hanc relatiui & antecedentis concordantiam promptus, quàm ego ad eandem oppugnandam ſum paratus, doce quæſo paucis, in quibus concordat relatiuum cum antecedente?

Reſp. *Relatiuum cum antecedente concordat genere numero & perſona.*

Quæſt.

Quæst. Es ne tam certò de huius regulæ veritate persuasus, vt nulla subeat animum tuum de eadem dubitatio?

Resp. *Cur ego hic fluctuarem, cum omnium ætatum & hominum doctissimorum consensu in hunc vsque diem confirmari videam huiusce regulæ veritatem?*

Quæst. Mutabis sine dubio sententiam, si illa diligentius inspexeris, quibus ego mox huius regulæ veritatem refellere conabor.

Resp. *Vnda prius flammas, & dabit ignis aquas. Sed omissis verbis, expecto argumenta.*

Obiectio. *Quæst.* En tibi. Non videmus manticæ, quod in tergo est.

Resp. *Cuius est hoc dictum? Vel quid tu tandem hinc concludis?*

Quæst. Citatur ex Catullo in ipsa Grammatica.

Resp. *Scio: sed non in hunc finem, vt ostendat relatiuum cum antecedente non conuenire genere, numero & persona.*

Quæst. Parùm refert, si hoc idem ex eiusdem sententiæ authoritate probare potero, quod quidem me facilimè facturum confido.

Resp. *Est hoc profectò dictu facilimum, sed non ita facile probatu.*

Quæst. Hoc tum demum rectius dixeris, cum argumenti mei vim eluseris.

Resp. *Verborum satis, argumentorum verò nihil*

nihil hucusque audiuimus.

Quæst. Sic ergo iam argumentor. Relatiuum (quod) est neutrius generis: Antecedens autem (manticæ) fœminini generis: nulla igitur est hîc generis congruitas inter Relatiuum & Antecedens, & consequenter non semper conuenit Relatiuum cum Antecedente genere, numero, & persona. Argumentum.

Resp. *Rectè tu quidem concluſisti, ſi quis hoc largiri velit, esse scilicet dictionem (manticæ) antecedens ad relatiuum (quod) in hac sententia.*

Quæst. Non peto vt mihi quicquam largiaris, quod non possim rationibus firmissimis euincere. Nihil enim hoc loco video aliud, quod antecedentis locum supplere debeat.

Resp. *Hebes est admodum oculorum tuorum acies, ſi hoc videre nequeas.*

Quæst. Mihi quidem satis clara & dilucida esse videtur. Non solùm enim perspicio (manticæ) esse fœminini generis, cum Relatiuum (quod) sit neutrius: sed etiam esse genitiui casus post verbum (videmus), quod post se regit accusatiuum, cum sit verbum transitiuum.

Resp. *Quemadmodum non est vox (manticæ) antecedens ad relatiuum quod (sicut est paulo ante à me dictum), ita nec sequitur verbum (videmus).*

Quæst. Proh Iupiter! Tu homo redigis me ad insaniam. An non vis vt oculis ego credam meis? An non manticæ vt proximè præcedit relatiuum

relatiuum (quod), ita etiam immeditatè sequitur verbum (videmus)?

Vera solutio. Resp. *Est etiam æquè auribus ac oculis in constructione inseruiendum. Respondeo igitur (satis enim loquentiæ, sapientiæ parùm hactenùs effuisti) non regi vocabulum manticæ à verbo videmus in hac sententia, sed à pronomine (id) subaudito, quod quidem est antecedens ad relatiuum (quod). Atque hac ratione vna fidelia duos parietes dealbaui.*

Quæst. Quid sibi vult tandem hæc prouerbialis sententia?

Resp. *Hoc vult, si nescis, me scilicet vna, eadémque opera vtrique tuæ obiectioni satisfeciſſe. Hoc est, & docui non esse vocem (manticæ) immediatè secutam verbum videmus, nec proximè præcedere relatiuum (quod), cum quo non consentit genere, sed cum antecedente (id), quod in hac sententia per figuram Ecthlipsim subintelligitur.*

Quæst. Iam demùm quod res est respondisti, ego tamen alia ratione monstrabo huius regulæ vanitatem.

Resp. *Vide ne temet ipsum tandem vanum esse demonstres.*

Quæst. Ne sis quæso de me solicitus, ego te iam alia via aggrediar, & iterum ex Terentio, citato loco, docebo relatiuum ab antecedente longè dissentire.

Resp. *Infœliciter profectò hucusque succeſſit, quod instituisti. Non mirum est igitur, si me alia*

iam

iam via adoriare.

Quæst. Hæc sunt Terentij verba in Andria: Vbi ille scelus est, qui me perdidit? Hic igitur quæro, cuius sit generis relatiuum Qui? Alia obiectio.

Resp. *Est masculini generis.*

Quæst. Quodnam habet hoc loco Antecedens?

Resp. *Vox (scelus) in hac sententia supplet locum Antecedentis.*

Quæst. Cuius est vox illa generis?

Resp. *Est neutrius generis.*

Quæst. Teipso ergo iudice statuendum est, non posse hîc relatiuum (Qui) cum Antecedente (scelus) genere consentire; cùm (qui) sit masculini generis (Scelus) verò neutrius.

Resp. *Ponitur hoc loco (Scelus) pro sceleſtus, fixum pro mobili, hoc est, Substantiuum pro Adiectiuo, vt & alibi sæpe apud hunc Poëtam, tam in hac ipsa voce, quàm etiam in alijs, vt in Eunucho: Scelus postquam ludificatus est virginem. Et iterum in eádem Comœdia: Vt illum dij, deæque senium perdant, qui mé hodie remoratus est.* Solutio.

Quæst. Concedo in locis à te adductis poni scelus pro sceleſtus, & senium pro senex: sunt tamen nihilominùs neutrius generis, cùm relatiua sint masculini generis. Qua ratione igitur conueniunt genere? Instantia.

Resp. *Est hîc & in huiusmodi locutionibus figura Synthesis, quæ est oratio congrua sensu, non voce.* Solutio.

Alia obiectio. *Quæst.* Quid igitur ad hoc eiusdem authoris in eodem Eunucho respondes? Ego quoque vnà pereo, quod mihi est charius.

Solutio. Resp. *Est hoc Poëticum, quibus multa conceduntur, quæ nobis imitari non licet.*

Instantia. *Quæst.* Quasi verò non sit hic loquendi mos vel ipsis oratoribus valdè familiaris? Sic enim Cicero in libello epistolarum pro Scholis, à Sturmio collecto, epistolâ trigesimâ tertiâ? Inprimisq; quod ei est charissimum, dignitatem eius commendo.

Solutio. Resp. *Non video, cur non possint hæ locutiones per Syntheſin etiam excusari. Vt vt enim voce discrepent, sensu tamen pulchrè conueniunt, non aliter atque: Hæc manus ob patriam pugnando vulnera passi. Vel si minùs tibi hoc arrideat, dico in his exemplis poni Relatiuum (Quod) absolutè, pro (quæ res) ad imitationem Græcorum, apud quos huiusmodi locutiones passim sunt obuiæ.*

Quæst. Mitte Græcos, nobisq; Latinis confirma hoc quod modò affirmâsti, vno atq; altero exemplo.

Virgilius. Resp. *Talia sunt apud poëtas: Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis. Et ibidem: Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres.*

Ouidius. *Ouidius: Turpe iacens mulier, turpe senilis amor. Atq; hæ quidem voces sic resolui solent: Dulcis res, tristis res, turpis res.*

Quæst. Restat vt hoc ipsum ostendas apud oratores

oratores.

Resp. *Faciam, idq; sanè libentissimè. Mors omnium rerum est extremum. Commune est omnium animantium coniunctionis appetitus, procreandi causa. Atq; hæc exempla nota tibi esse arbitror ex ipsa Grammatica.*

DISPVTATIONES DE NOMINVM regimine.

QVAESTIO.

Cùm duo Substantiua diuersæ significationis concurrunt, an posterius in genitiuo poni debeat?

40 Noua est hæc quæstio, & in tertiâ editione addita.

Præfatiuncula.

Quæst. Cùm omnis simplex constructio consistat vel in conuenientia & concordantia quadam quarundam partium orationis inter sese in quibusdam attributis, siue accidentibus, de quibus in præcedentibus satis est hactenùs disputatum: vel in regimine casuum post sese indebita & legitima partium orationis inter sese coniunctione connexioné que: examinemus (si placeat) iam deinceps regularum Grammaticalium, quæ de hoc argumento traduntur veritatem & firmitudinem. Ac primum recense primam de nominum regimine regulam.

Regula Grammaticalis.

Resp. *Cùm duo Substantiua diuersæ significationis sic concurrunt, vt posterius à priore possideri*

quodammodo videatur, tum posterius in genitiuo ponitur.

Obiectio. *Quæst.* Qua ratione igitur defendes hoc Plauti dictum in prologo Amphitruonis: amore captus Alcumenas Iupiter?

Resp. *Nullius eget patrocinio hæc sententia. Nihil enim habet huic regulæ contrarium.*

Quæst. Nonne vides duo substantiua hîc concurrere, nempè (amore) & (Alcumenas); cum tamen posterius substantiuum scilicet (Alcumenas) non sit genitiui casus, sed accusatiui pluralis.

Resp. *Rectè tu quidem. Vox Alcumenas an non est (quæso) nomen proprium mulieris?*

Quæst. De hoc si quis dubitet, ego sanè non dubitarem illum habere pro octauo sapientum. Sed quid hoc ad rem?

Resp. *Non potest ergo vox Alcumenas esse accusatiuus pluralis, cùm propria careant ferè omnia numero plurali.*

Quæst. Sic tamen non euades. Detur enim vocem (Alcumenas) carere numero plurali, & esse solummodò singularis numeri, cuius tamen est casus?

Resp. *Est genitiui singularis, & regitur à priore substantiuo (amore) regulariter.*

Quæst. Siccine verò? Dic ergo cuius sit declinationis proprium hoc nomen Alcumenas?

Resp.

Resp. *Est primæ declinationis.*

Quæst. Ego hoc facilimè infringam hac ratione. Genitiuus singularis primæ declinationis desinit in æ diphthongo: sed hîc genitiuus vel teipso iudice, non desinit in *æ* diphthongo, sed in (*as*).

Resp. *Quid tum posteà?*

Quæst. Ergo non potest esse genitiui casus.

Resp. *Non sequitur. Est enim æ diphthongus terminatio genitiui singularis in nominibus Latinis: sed Alcumenas non est nomen Latinum, sed vox Græca.* Solutio.

Quæst. Nemo tamen tibi dabit Plautum Græcè scripsisse, sed Latinè. Instantia.

Resp. *Hoc scio. Vtitur tamen sæpiùs nominibus Græcis, in quibus sequitur etiam Græcam inflexionem in quibusdam casibus, vt liquidò constat in hoc nomine Alcumenas, quod pro more nominum secundæ declinationis simplicium, apud Græcos facit genitiuum singularem in* as. Solutio.

Quæst. Ego non sum Græcus, ac proinde non contendam tecum ampliùs de hoc nomine, sed in hac tua responsione acquiescam, & pergam ad aliam rationem, quam contra hanc quæstionem sic instituo. Idem Plautus sic loquitur in Menæchmis: namq; si absq; te essem, hodie nunquam ad solem occasum viuerem. Alia obiectio.

Resp. *Habésne hîc aliquid, quod pro te faciat ad huius regulæ veritatem oppugnandam?*

Quæſt. Putáſne Latinè dici ad occaſum ſolem, vel an non potiùs dicere debuiſſet, ad occaſum ſolis? Vides enim ſolem poni in accuſatiuo contra regulam, & non in genitiuo, iuxta regulam.

Soluti. Reſp. *Eſt igitur caſus pro caſu per figuram Antiptoſin, quod apud poëtas eſt frequentiſſimum.*

Quæſt. Frequens & communis eſſe ſolet hæc reſponſio in huiuſmodi locutionibus, ſed tamen mihi non ſatisfacit.

Alia ſolutio. Reſp. *Vide ergo an hæc magis arrideat, ſi dixero vocem (occaſum) non eſſe hoc loco nomen ſubſtantiuum, ſed Adiectiuum participiale à Supino occaſu à verbo occido, & conuenire cum voce (ſolem) in accuſatiuo.*

Quæſt. Si tempus pateretur, poſſem ego multis rationibus hoc reſponſum refellere, ſed agam tecum alia ratione, vbi non tam facilè inuenies elabendi viam. Plautus in Comœdia, cui nomen eſt Stichus, hæc habet verba: Et me quidem hæc conditio nunc non pœnitet.

Alia obiectio.

Reſp. *Ego in hac ſententia nihil prorsùs inuenio, quod faciat contra huius regulæ veritatem.*

Quæſt. Rem quæſo altius paulò mecum conſidera. Sunt hîc duo Subſtantiua, nempè (me) & (conditio), cum tamen poſterius Subſtantiuum (conditio) non ponatur in genitiuo, ſed in nominatiuo, quæ mihi videtur valdè mira loquendi formula. Dicimus enim regulariter:

Pœnitet

Pœnitet me conditionis, non autem : pœnitet me conditio.

Resp. *Non concurrunt hæc duo Substantiua immediatè, & proinde non infringunt huius regulæ veritatem.* Solutio.

Quæst. Tibi quiduis affirmare licet. Qua enim fronte hoc negare audes?

Resp. *Non sequitur vox (conditio) accusatiuum (me), sed venit ante verbum (pœnitet), cui est hoc loco nominatiuus.*

Quæst. Sed impersonalia (cuiusmodi est verbum pœnitet) (si fides Grammaticæ nostræ sit adhibenda) præcedentem nominatiuum non habent.

Resp. *Remigrant tamen nonnulla impersonalia aliquando in personalia, vti docet ibidem eadem Grammatica.*

Quæst. Satis dextrè respondisti, sed ego te strictius adhuc vrgebo, & pluribus ex Plauto adductis exemplis probabo, hanc de duorum substantiuorum regimine regulam esse falsam, & incertam.

Resp. *Est quidem Plautus author satis probatus, testisq; in hac causa omni exceptione maior: sed nihil tale (vt spero) ex illo probabis.*

Quæst. Tu qui tam audacter hoc negas, videris parum esse versatus in Plauti lectione, qui multis in locis huic regulæ contradicit.

Resp. *Profer ex locis tam multis vel vnicum*

ſaltem exemplum.

Quæſt. Ecce tibi exemplorum ſatis. Quid tibi hanc curatio eſt rem? Et poſteà: Sed quid tibi nos mendice homo tactio eſt? Et iterum: Quid tibi ergo meam, me inuito, tactio eſt? Atque hæc omnia leguntur in Amphitruone. Plura his ſimilia paſſim occurrunt in reliquis huius authoris Comœdijs.

vide indicem. Reſp. *Sunt hæc quidem ſatis. Ex his autem quid concludis?*

Quæſt. Non genitiuum iuxta regulam, ſed accuſatiuum ſequi in poſterioribus ſubſtantiuis contra regulam.

Solutio. Reſp. *In omnibus hiſce à te prolatis exemplis, priora ſubſtantiua vim habent ſuorum verborum.*

Quæſt. Opus eſt Sphynge aliqua, quæ ſenſum huius tuæ tam obſcuræ reſponſionis nobis exponet.

Reſp. *Non ſatis aſſequeris verborum meorum ſenſum? Hoc volo: idem valere has loquendi formulas, ac ſi dixiſſet: Quid tu hanc rem curas? Sed quid tu nos mendice homo tangis? Quid tu ergo meam, me inuito, tangis.*

Quæſt. Sit ſanè hic ſenſus horum exemplorum. Sed cur ponuntur poſteriora ſubſtantiua in accuſatiuo?

Reſp. *Quia illorum verba regunt poſt ſe accuſatiuum.*

Quæſt. Noua profectò & inaudita eſt hæc Grammatica,

Grammatica, nec minùs falsa, quàm noua: vt scilicet substantiua regerent casum suorum verborum.

Resp. *Sic igitur secundò respondeo: accusatiuum in his & similibus exemplis poni pro genitiuo per figuram Antiptôsin, quod apud poëtas est frequentissimum & vsitatissimum.* Alia solutio.

Quæst. Non displicet hæc tua responsio, magis tamen placet prior illa, paulò superius à te allata, si aliquantulo dilucidius eandem explicâsses. Non pigebit igitur huc ascribere in rei literariæ tyronum gratiam, quæ doctissimus Lambinus hac de re in suis in Plautum commentarijs annotauit supra similem Plauti in Epidico locutionem, actu secundo, scæna secunda, quæ talis est: Nihil in ea re captio est.

Verbalibus (inquit in *io*) idem casus tribui solebat, atque verbis vnde oriuntur. Quemadmodum igitur Latini dicunt, nihil in ea re ceperis: ita licet dicere, nihil in ea re captio est. Atque hunc loquendi modum ibidem postea multis productis exemplis confirmat, quæ omnia ego breuitatis causâ hîc omitto. Sed iam pergamus ad alia. Annotatio Lambini.

DISPVTATIO.

DISPVTATIO DE ADIECTIVIS ad copiam, egeſtatémue pertinentibus.

QVAESTIO.

41 *An adiectiua quæ ad copiam, egeſtatémue pertinent, ablatiuum vel genitiuum deſiderent?*

Præfatiuncula.

Quæſt. Qui de tribus concordantijs & duorum ſubſtantiuorum regimine nuperrimè diſputarunt (Auditores ornatiſſimi), multa illi quidem vtrinque in medium protulerunt, quibus tam abeſt, vt illarum regularum veritas ſit labefactata & eneruata; vt potiùs inde magis confirmetur earundem certitudo & conſtantia, ſicuti fieri ſolet in huiuſcemodi diſputationibus. Quapropter volui & ego quoque paucula hîc obijcere contra regulam illam Grammaticalem, quæ eſt de regimine Adiectiuorum, copiam, egeſtatémue ſignificantium; quibus ſi tu (Aduerſarie) dextrè reſponderis, non infirmata, ſed cõfirmata reuera videri poſſit illius regulæ authoritas. Non enim mihi ſatisfacit illa regula, nec vera ſatis videtur eſſe, quæ tribuit genitiuum, vel ablatiuum huiuſmodi adiectiuis.

Reſp. *Doce igitur quid habeas, quod in hac regula meritò poſſis reprehendere.*

Quæſt.

Quæſt. Reperiuntur multa adiectiua copiam, vel egeſtatem ſignificantia, quæ cum alijs caſibus copulantur. Obiectio.

Reſp. *Hoc ſi monſtrare queas, puto fieri, non communi, & vſitato loquendi more, ſed figuratè, vel poëtica licentia.* Solutio.

Quæſt. Imò ſæpè hoc accidit, non ſolùm apud poëtas, verùm etiam apud Oratores & Hiſtoricos. Inſtantia.

Reſp. *Si quid huiuſmodi aliquando legeris, profer authoris & nomen & locum.*

Quæſt. Inter alios ecce tibi Iuſtini Hiſtoriographi verba libro vltimo, videlicet 44. loquens de Hiſpania, in ipſo ſtatim libri initio: Hiſpania (inquit) in omnia frugum genera fœcunda eſt. Iuſtinus.

Reſp. *Hoc vnicum eſt, & rarum exemplum, cuius fortaſſe ſimile non facilè reperitur.* Solutio.

Quæſt. Quid ſi non legantur alia exempla? vel vnicum hoc ſufficit ad refellendam illius regulæ veritatem. Ait tamen Silius libro ſecundo: Fœcundum in fraudes hominum genus. Inſtantia. Silius.

Reſp. *Fit hoc per figuram Antiptoſin, quæ eſt poſitio caſus pro caſu: vt in his exemplis accuſatiuus cum præpoſitione ponatur pro genitiuo, vel ablatiuo.* Solutio.

Quæſt. Imò non minùs eleganter & concinnè ſic loquuntur, quàm ſi per genitiuum, vel ablatiuum Inſtantia.

latiuum efferrent. Quin potiùs melior eſt hæc loquendi forma, quàm ſi dicerent: Hiſpania omnium frugum generum, vel generibus fœcunda: vel fœcundum fraudum, vel, fraudibus hominum genus.

Alia ſolutio. Reſp. *Si tibi minùs arrideat prior reſponſio, affirmo in his & ſimilibus loquendi formulis non regi dictionem ab adiectiuo, ſed à præpoſitione præcedente: vel eſt intelligenda hæc Grammaticæ regula de eo quod ſæpiùs fit, aut fieri debeat, nempè, vt frequentiùs & vſitatiùs huiuſmodi adiectiua genitiuo vel ablatiuo iungãtur; nihil tamen hoc impedit, quò minùs aliter loqui probatis authoribus aliquando liceat.*

Quæſt. Non habeo, quod iure reprehendam in hac tua reſponſione.

Addebatur & hæc diſputatiuncula in tertiâ editione.

DISPVTATIVNCVLA DE REgimine adiectiuorum, dignus, *indignus, &c.*

QVAESTIO.

42 *An hæc adiectiua, dignus, indignus, & cætera, ſemper iungantur ablatiuo, vel genitiuo?*

Præfatiuncula. *Quæſt.* Inter regulas ablatiuum vel genitiuum, vel vtrumque regentes, paulò poſt illam, de qua proximè diſputauimus, regulam, tradit

tradit Grammatica, hæc adiectiua, dignus, indignus, præditus, captus, contentus & extorris regere frequentius ablatiuum, aliquando autem genitiuum tribui nonnullis ex istis; quam ego præceptionem à te scire velim, num putes ita esse generalem & constantem, vt non inueniantur hæc adiectiua alijs interdum casibus apud probatos authores iuncta?

Resp. *Non memini me vnquam legisse hæc superiùs citata adiectiua alios casus regere, quàm ablatiuum vel genitiuum.*

Quæst. Reperiuntur tamen aliquando cum accusatiuo. Fallit igitur aliquando hæc regula. Obiectio.

Resp. *Si tibi hoc affirmanti fidem adhiberi vis, confirma quod dixisti exemplo aliquo.*

Quæst. Sic loquitur Plautus in Captiuis: sed si pauxillum potes esse contentus. Plautus.

Resp. *Vt vnius hirundinis aduentus non statim facit indicium aduentantis veris; ita nec vnicum exemplum falsitatis arguit vniuersalem regulam.* Solutio.

Quæst. Non est hoc respondere: nec mihi vllo modo satisfacit hæc tua responsio.

Resp. *Dico igitur hoc exemplum nihil facere contra regulam, quia non est pauxillum hoc loco nomen, sed aduerbium.* Alia solutio.

Quæst. Non potes sic effugere. Quid enim dices ad hanc Plauti sentẽtiam paulò post in eádem Comœdia: nugæ istæc sunt: non me cen- Alia obiectio.

ses

ſes ſcire, quid dignus ſiem?

Reſp. *Neſcio quid hîc potiſſimùm incuſes.*

Quæſt. Incongruè hic loquitur Plautus in primo loco, cum dicat: nugæ iſtæc ſunt, pro, nugæ iſtæ ſunt.

Solutio. Reſp. *Sunt hæc extra olera (quod aiunt), hoc eſt, pertinent ad aliam quæſtionem. Reſpondeo tamen vel eſſe hîc Enallagen generis, neutrius ſcilicet pro fœminino: vel poni hoc loco Adiectiuum iſtæc abſolutè, vti fieri ſolet cum excluditur (res), & eſſe nominatiuum ante verbum (ſunt), quemadmodum & vox (nugæ) nominatiuus eſt poſt verbum ſunt, vt non moneam dixiſſe aliquando veteres indifferenter in fœminino pluralis numeri tam iſtæc, quàm iſtæ, tam hæc, quàm hæ, hæcce pro hæce, & ita in aliis ſimilibus.*

Annotatiuncula.

Alia obiectio. *Quæſt.* Qua ratione autem defendis hoc poſterius: Quid dignus ſiem: vbi accuſatiuus ponitur pro ablatiuo, vel genitiuo?

Solutio. Reſp. *Vel ſupplendum eſt verbum (habere) vt ſit: quid dignus ſiem habere, vel eſt hoc loco Antiptoſis: quid dignus ſiem, pro quo dignus ſiem.*

Quæſt. Probè te geſſiſti, rectéque ad has obiectiones mea quidem ſententia reſpondiſti: dic tamen cur inter hæc Adiectiua interſeratur vox (extorris), quod non eſt adiectiuum, ſed ſubſtantiuum communis generis, ſicut patet ex regula: vates, extorris, patruelis, & cætera?

Extorris.

Reſp.

Resp. *Vsurpantur tamen multa huiusmodi aliquando adiectiuè.* Solutio.

Quæst. Sed vbi tandem legisti hanc vocem (extorris) iunctam simpliciter, vel cum ablatiuo vel cum genitiuo? Obiectio

Resp. *Non occurrit nunc exemplum, ego tamen apud Liuium reperio hoc, siue adiectiuum, siue substantiuum, (extorris) iunctum ablatiuo cum præpositione in hunc modum: Exul, atque extorris ab solo patrio. Et fieri potest vt reperiatur aliquando simpliciter, cum ablatiuo, vel genitiuo, iuxta regulam.* Solutio Liuius.

Quæst. Benè se res habet. Disputent iam alij de alijs simplicis constructionis regulis.

DISPVTATIO DE REGIMINE verborum.

Quæstio prima.

An sum, forem, fio, *& similia, vtrinque nominatiuum expetant?* 43

Quæst. Non ego is sum (Auditores humanissimi), qui, vel eruditione, vel verbis cõtendere queam, vel eruditione, atque doctrina par illis esse valeam, quos multos, in hoc studio, & arena concertantes sæpiusculè non sine maxima delectatione & voluptate audiuistis. Cum tamen Præfatiuncula.

tamen & scholæ huius consuetudo & præceptoris benignissimi imperium hoc à me postulant, vt quid possim in hæc quæstione, contra Aduersarium hunc meum experirer; malui in parendo officiosus, potius quam recusando contumax à vobis iudicari. Adeste igitur æquis animis puerili & Grammaticali huic certamini: túq; (commilito suauissime) te ad respondendum accingito.

Resp. *Ego auidissimè expecto, quid sis tandem propositurus.*

Quæst. Inter regulas quæ traduntur de verborum regimine, nosti, sum, forem, fio, & similia, vtrinq; nominatiuum habere.

Resp. *Scio huiusmodi regulam esse in Grammatica, eámq; puto esse verissimam.*

Obiectio. *Quæst.* Aliter fortassis statim senties, cum audiueris quid ego contra huius regulæ veritatem, ex ipso Cicerone, Latinæ linguæ & eloquentiæ facilè principe, protulerim. Sic enim scribit in Oratione pro Cornelio Balbo. Quòd si ciui Romano licet esse Gaditanum.

Cicero pro. C. Balbo.

Resp. *Reperísne aliquid in hac sententia, quod faciat contra regulam, de qua nobis est hoc loco concertandum?*

Quæst. Ego te ipsum hac re iudicem constituam, si abdicato cæco sinistrè iudicandi affectu, quod sim dicturus, pensitaueris.

Resp. *Me ab omni corruptione immouniſſimum reperies.*

reperies.

Quæst. Expende igitur esse hoc loco vocem (ciui) datiui casus ante infinitum (esse) verbum Substantiuum: Gaditanum verò accusatiui casus post idem verbum. Falsa igitur est regula.

Solutio.

Resp. *Nihil omninò facit hæc Ciceronis authoritas contra illius regulæ veritatem, quam modò recitâsti. Non est enim Indicandi, sed Infiniti modi hoc verbum. Intelligenda est enim hæc regula de modo Indicatiuo, & alijs eorundem verborũ modis, qui inflectuntur numeris & personis.*

Instantia.

Quæst. Est profectò hoc aliquid, quod affirmâsti; hoc tamen aliquid omninò nihil est. Sequitur enim paulò post: Infinitum quoque vtrinque eosdem casus habet, præcipuè cum verba optandi ijsque similia accedunt.

Solutio.

Resp. *Sit itaque respondeo: nempè subaudiri accusatiuum (ciuem) ante verbum (esse), ita vt hac ratione supplenda sit hæc sententia: Quod si ciui Romano ciuem licet esse Gaditanum.*

Instantia.

Quæst. Mihi sanè videtur hæc locutio esse absurda, nihilque aliud redolere, quàm inanem quandam & ineptam verborum tautologiam.

Alia solutio.

Resp. *Quàm delicatulum habes tu tandem palatum, cui si minùs arrideat prior responsio; vide (quæso) an hæc magis placeat, si dixero hanc locutionem esse figuratam, & per Antiptosin poni accusatiuum pro datiuo, vt sit: Quod si ciui Romano*

licet esse Gaditanum, pro eo quod erat dicendum: Quod si Ciui Romano licet esse Gaditano. Vtrum horum manis accipe.

Quæst. Vtrunq; amplector: sed nolo diutiùs in hâc quæstione hærere.

DISPVTATIO SECVNDA DE EADEM quæstione.

Quæstio secunda.

44 *Quem casum regunt* sum, forem, fio, *cum verbis optandi, & similibus?*

Præfatiuncula.

Quæst. Mane dum (quæso) bone vir. Licet enim te dimiserit, qui tecum prior est congressus, ego tamen tecum agam in eodem argumento, pace & veniâ doctissimorum & ornatissimorum virorum circum hæc subsellia hîc astantium. Habeo namque & ego paululum quiddam quod obijciam in quo si mihi satisfeceris, & te saluum, & Grammaticam illæsam conseruaueris. Interrogo igitur & ego quoque hoc loco, quem casum post se regant Sum, forem, fio cum verbis optandi & similibus?

Resp. *Eundem casum habent post se, quem ante se habebant.*

C. Balbo.

Quæst. Quid ergo tibi statuendum videtur de hoc Lucani: Tutùmque putauit, iam bonus esse

esse socer.

Resp. *Locutus est Lucanus iuxta hanc regulam, meâ quidem sententiâ. Nominatiuus enim (ille) subauditus, præcedit verbum (putauit) sequitur verò nominatiuus socer.* Solutio.

Quæst. Nominatiuus socer non sequitur verbum (putauit) sed infinitiuum (esse) inter quod & verbum (putauit) necesse est vt subaudiatur accusatiuus (illum) aut aliquid simile. Instantia.

Resp. *Non video omninò cur ita sit necesse.*

Quæst. Ego tibi hoc ostendam. Nosti (opinor) verba infiniti modi pro nominatiuo accusatiuum ante se statuere.

Resp. *Quid ni hoc nouerim? Est enim regula tritissima.*

Quæst. Sed vbi tandem est ille accusatiuus?

Resp. *Subaudiatur, si ita velis. Quid tum posteà?*

Quæst. Sequetur tum posteà, duram hanc esse locutionem (vt non dicam) incongruam, & barbaram.

Resp. *Bona verba quæso. Est enim Poëta Lucanus inter melioris notæ probatos authores.*

Quæst. Sit ita. Cuiusmodi tamen videtur hæc loquendi ratio? Tutùmque putauit, illum iam esse bonus socer. Est enim potiùs ita loquendum: Tutúmque putauit, iam bonum esse socerum.

Resp. *Durus quidem mihi videtur hic loquendi* Alia & melior Solutio.

di modus, nec temerè vsurpandus. Non video autem qua ratione possit commodè excusari, nisi dicamus fieri per Antiptosin, videlicet Socer pro socerum.

Quæst. Ego sanè eiusdem tecum sum sententiæ, non tamen te longiùs hîc detinebo. Video namque & alios ad disputandum paratos.

DISPVTATIO DE ACCVSATIVO ante verbum infiniti modi.

QVAESTIO.

45 *An verba infiniti modi pro nominatiuo accusatiuum ante se statuunt?*

Præfatiuncula.

Quæst. Veritas non altercando amitti, sed contendendo magis manifesta apparere solet. Est enim συζήτησις (vt ex præceptore sæpiùs audiuimus) hoc est, communicatio & quasi mutua collatio, studiorum velut anima. Fit enim hac ratione, vt & ingenia acuantur, & iudicium paretur de rebus grauissimum. Rectiùs etiam & magis dextrè tum percipimus, tum etiam explicamus aliorum sententias. Non ergo me vel pudebit, vel pigebit in hoc studij genere meipsum exercere, in quo tam multos ante me non sine laude versatos esse, non ita dudum viderim

derim. Facit quoq; me alacriorem ad hoc præstandum solita vestra humanitas & beneuolentia, quam in aliorum disputationibus benignè audiendis adhibere soletis. Proponam itaq; in hac quæstione vnicum solummodò argumentum, idémque magna affinitate & similitudine coniunctum cum duâbus proximè præcedentibus concertatiunculis. Quæro igitur an veram esse censeas hanc regulam; Verba infiniti modi pro nominatiuo accusatiuum ante se statuunt?

Resp. *Ego hanc regulam puto esse verissimam. Tu, si aliter sentias, cuius sis sententiæ ostende.*

Quæst. Video Ouidium peccasse contra hanc regulam, in illa elegantissima oratione, quàm sub persona Vlyssis habuit apud Græcorum proceres pro armis Achillis, vbi loquitur in hunc modum:—Sed enim quia rettulit Aiax esse Iouis pronepos, nostri quoq; sanguinis author Iuppiter est:——. Obiectio. Ouid. lib. 13. Metamorph.

Resp. *Ego nihil hic reperio, quod non benè conueniat cum hac regula.*

Quæst. Est ergo valdè tenebrosa & obscura oculorum tuorum acies. Vbi enim est accusatiuus in hac sententia ante infinitum (esse), iuxta hanc regulam?

Resp. *Quod subintelligitur non deest. Accusatiuus autem (se) hoc loco subintelligitur hoc modo: Quia rettulit Aiax, se scilicet esse Iouis pronepos.*

Quæst. Dum hoc affirmas, non excusas, sed potius accusas Ouidium incongruitatis. Quid enim? Anne videtur tibi hæc oratio satis esse Latina: Rettulit se esse pronepos? An non esset potiùs hoc modo dicendum? Rettulit se esse pronepotem Iouis.

Græcissmus.

Resp. *Tecum non possum per omnia consentire,*

Solutio.

Præterquam quod enim frequentissimus & familiarissimus apud Græcos sit hic loquendi modus, loquitur etiam ita alibi hic Poeta, vel in Epistolis, vel saltem libris de Arte amandi: In molli sperem mobilis esse loco.

Quæst. Quo sæpiùs in hunc modum scribit eò sæpiùs meâ quidem sententiâ peccat, si incongruè loqui sit peccare.

Resp. *Atqui opere in magno fas est obrepere somnum, iuxta illud Horatianum in Arte Poetica. Est igitur in his locis casus pro casu positio, videlicet nominatiui pro accusatiuo, per figuram Antiptosin, etsi non nobis, Poetis tamen sæpiùs concessam, vt & aliis Scriptoribus, vti in superioribus disputationibus est videre.*

Melior.

Solutio.

Quæst. Satis aptè respondes. Sed audiamus iam alios. Tu enim tuas partes probè es tutatus.

DISPV-

DISPVTATIO DE REGIMINE Verborum acquisitiuè positorum.

Nona est hæc quoq; disputatio, & in tertiâ editione addita.

QVAESTIO.

An verba acquisitiuè posita regant datiuum tantùm? 46

QVæst. Non est locus fertilior nec argumentum ferè vberius & locupletius, quod ampliorem administret disputandi materiam, quàm sunt illæ regulæ quæ in Grammaticâ præcipiuntur de regimine verborum acquisitiuè positorum, cum alijs varij generis verbis huic regulæ appendentibus, vt loquitur ipsa Grammatica in eorundem tractatione. Cùm igitur hucusque non omiserimus illarum regularum examinationem quæ arctiorum locorum terminis & cancellis includuntur, ipsa æquitatis & iustitiæ ratio postulatè videtur, vt paucula quædã ex hoc tam largo & amplo disputandi agro seligamus, de quibus pro solito more nostro inter nos ipsos placidè & amicè concertemus. Cum itaque non dubitem te tibi ipsi semper constare cuique esse similem, imò verò in hâc tuâ pertinaciâ & contumaciâ tutandi omnia quæ docet Grammatica, constantem esse, quæro num hîc etiam omnia defendes ad hoc argumentum, & Præfatiuncula.

ad hanc propoſitam quæſtionem pertinentia & ſpectantia?

Reſp. *Turpe fuerit in extremo ferè actu deficere. Tutabor igitur in hac etiam parte Grammaticam.*

Quæſt. Nulla itaque habita ordinis ratione pro libitu & arbitratu meo hinc inde decerpam illas huius tractationis regulas, quæ mihi ad oppugnandum videbuntur magis idoneæ & faciles. Primò igitur reſponde mihi de nuntiandi & imperandi verbis, quem caſum regunt?

Reſp. *Nuntiandi & imperandi verba regunt datiuum.*

Obiectio. *Quæſt.* Ego tamen reperio nuntiandi verba iuncta accuſatiuo cum præpoſitione.

Reſp. *Produc authoritatem, vt meliùs videam quid ſit reſpondendum.*

Quæſt. Author eſt Plautus, cuius hæc ſunt verba in Mercatoris Actu primo, Scæna ſecunda: Tace modò, ſi boni quid ad te nuntiem. Et ſæpiùs alibi loquitur ad eundem modum.

Vide indicem. Reſp. *Dupliciter reſpondeo.* Solutio. 1 *Primò affirmo hæc nuntiandi verba (quod idem eſt intelligendũ de multis alijs verbis) communiùs & frequentiùs regere poſt ſe datiuum, non autem ſemper. Nulla enim tam generalis ferè eſt præceptio, quæ non admittat* 2 *aliquam exceptionem. Secundò, dico hîc accuſatiuum (te) regi à præpoſitione (ad), non autem à verbo nuntiem.*

Quæſt.

Quæst. Valdè placet hæc tua solutio. Nolim tamen vt semper confugias ad hoc diuerticulum; premámque te arctius, alia prolata obiectione in regulam de verbis fidendi, de quibus quæro, quem casum postulent?

Resp. *Satis hoc manifestè constat ex ipsa regula, quæ est huiusmodi: verba fidendi datiuum postulant.*

Quæst. Hic ergo mox adducam raram, adeóque miram contra hanc regulam ex eodem authore loquendi rationem. Sic enim scribit in Truculento: nunquam Ædepol quisquam mihi homo mortalis post hæc, duarum rerum credui-it. Ita etiam in Amphitruone: nunquam ædepol tu mihi diuini quicquam credis post hunc diem. Atque ita sæpiùs in alijs Comœdijs, vt in Asinaria: in Bacchidibus &c. vide indicem. Alia obiectio.

Resp. *Sunt hæc peculiares Plautinismi (si ita loqui mihi liceat) hoc est, loquendi formulæ Plauto fere familiares, à quibus ætas hæc nostra delicatula nunc dierum abhorret. De quibus sic doctissimus Lambinus: Constat, veteres sua non semper ad nonarum harum aurium iudicia exegisse: in quibus & hoc loquendi genus est, quod ad istam faciem in omnibus omnium ætatum codicibus remanet: Credere duarum rerum, Trucul. act. 2. 2. In Bacchidibus 3. 4. Diuini credere: & Asin. 2. 4. Omnium rerum credere.* Solutio. Plautinismi. Lambinus.

Quæst.

Quæſt. Quid autem ais ad verbum (creduis)?

Archaiſmus. Reſp. *Eſt Archaiſmos pro credideris.*

Quæſt. Hæc non ſunt vrbiuis obuia, nec habent omnes Lambini in Plautum commentarios. Bene igitur, imo optimè es meritus de ſcholarum triuialium alumnis, qui hîc, & alibi tuâ operâ & labore multùm adiuuantur. Sed agam iam de verbis dandi & reddēdi, quorum quodnam eſt quæſo regimen?

Reſp. *Verba huiuſmodi datiuum exigunt.*

Alia obiectio. *Quæſt.* Frequens apud Plautum eſt hoc loquendi genus: Ignoſco peccatum tuum: Condono te: & ſimilia.

Solutio. Reſp. *In his & aliis eſt figura Antiptoſis, hoc eſt, caſus pro caſu poſitio, accuſatiui ſcilicet pro datiuo.*

Alia obiectio. *Quæſt.* Sed quid adferre potes, quo excuſes illud quod in Plauti Truculento reperio, actu 4. ſcena 3. Iſtæ dedi? Cuius enim eſt caſus pronomen (iſtæ) poſt verbum dandi, dedi? Nominatiuus pluralis eſſe non poteſt. Non enim regit, verbum (do) nominatiuum poſt ſe. Nullus autem eſt caſus in numero ſingulari, cui poteſt aſcribi.

Reſp. *Eſt datiuus ſingularis, iſtæ pro iſti. Ita enim ſolebant veteres hæc pronomina, vt & nomina quædam, vnus, ſolus, totus, vllus, alius, alter, neuter, &c.*

&c. aliquando inflectere ad formam adiectiuorum trium terminationum, bonus, bona, bonum, vt pluribus exemplis in præcedentibus disputationibus demonstrauimus.

Quæst. Iam tandem omissis multis alijs, quæ obijci possent in hoc regimine datiui casus post verba acquisitiuè posita, tam ad regulas præcedentes, quàm consequentes spectantibus, ne nullam omninò materiam disputandi reliquisse videar studiosis adolescentulis, qui ex sese aliquid excogitare & inuenire cupiunt, si per omnes rei Grammaticalis regulas accuratiùs excurrerem: pauca quædam adijciam de illorum verborum regimine, quæ componuntur cum his præpositionibus præ, ad, con, & similibus.

Resp. *Bene tu quidem facis & prudenter. Nam si omnia ad amussim persequereris, & tædium parereres legentibus, & ignauos & desidiosos redderes alios multos, qui alioquin suam excitarent industriam & sedulitatem, vt suopte marte similia exquirerent disputandi argumenta. Si quid igitur habes, quod de his verbis obijcias, illud, quàm potes breuissimè in medium propone, vt ad alia demùm pergamus.*

Quæst. Datiuum postulant huiusmodi verba, sic vt paulò superiùs dictum est composita, nonne?

Resp. *Vel maximè.*

Quæst.

Quæſt. Vide quàm numeroſa exemplorum multitudine te mox obruam, quibus oſtendam huius regulæ falſitatem & incertitudinem.

Reſp. *Proſer tandem, vt cuiuſmodi ſint, & audiamus & examinemus.*

Alia obiectio. *Quæſt.* Sunt illa omnia Plautina, ex varijs illius Comœdijs hinc inde excerpta, & è multis hæc paucula: Si magis me inſtabunt, ad prætorem ſufferam. In Curculionis actu 3. ſcæ. 1. Ex Plauti Sticho: act. 2. 7. Nam illic homo hæreditatem tuam inhiat, quaſi eſuriens lupus. Ex Plauti Pœnulo: act. 4. 2. Tantum eum inſtat exitij. Ex Plauti Aulularia: act. 1. 4. Credo ego illum iam inaudiſſe, mihi eſſe theſaurum domi: id inhiat. Ex Plauti Moſtellaria: 1. 3. Si illum inſeruibis ſolum. Ex Plauti Menæchmis: 5. 9. prandi perbene, potaui, atque accubui ſcortum. Sed dies me deficeret, ſi omnia percenſerem.

Solutio. Reſp. *Hæc ſufficiunt. Loquitur in hiſce Plautus & in ſimilibus pro more illorum temporum. Solebant enim veteres alios caſus verbis huiuſcemodi adiungere, quàm fert ætatulæ noſtræ recentioris conſuetudo. Accuſatiuo iungebantur apud illos aliquando hæc verba, apud nos rectiùs regunt datiuum.*

Inſtantia. *Quæſt.* Sed videntur apud illos verba quædam cum (con) præpoſitione compoſita regere datiuum,

datiuum, quæ apud nos ſemper iunguntur accuſatiuo, inter quæ eſt verbum conſequor, quod verbum ſi nos cum datiuo efferremus, dura admodùm, & non imitanda videretur locutio.

Reſp. *In ſtudioſorum gratiam, qui ſcholis triuialibus inſeruiunt profer huiuſmodi locum.*

Quæſt. In Plauti Amphitruone, act. 2.2. ſic legimus: Ita dis placitum, voluptati vt mœror comes conſequatur.

Reſp. *Eſt hic peculiaris Græciſmus, hoc eſt, loquendi formula Græcis familiaris & vſitata. Illi enim dicunt:* ἕπεσθαι τῇ ἡδονῇ: *vt alias: decêre alicui:* πείθεσθαί τινι. *Et Cicero ſimili Græciſmo dixit: Comitari huic vitæ. Hæc autem è Frederici Taubmani in hunc locum Commentarijs decerpſimus, quia putamus illius in Plautum lucubrationes non cuiuis eſſe obuias.* Solutio. Taubmanus in Plautum.

Quæſt. Poſſunt Iuniores Scholarum Tyrones hinc facilè ſtatuere, quid de ſimilibus locutionibus ſit iudicandum. Sed finem hîc imponamus huic diſputationi.

DISPVTATIO

DISPVTATIO DE REGIMINE horum verborum, *vtor, fungor, fruor, potior, &c.*

QVAESTIO.

47 *An regant hæc verba*, vtor, fungor, fruor, potior, *& similia ablatiuum?*

Præfatiuncula.

Quæst. Fœcundus est & amplus rei Grammaticalis fundus, campus longè vberrimus, hortus satis spatiosus, variarúmque regularum præceptionibus, quasi floſculis quibusdam amœnissimis & suauissimis refertus & instructus. Firma quoque est earundem veritas & certitudo, bonorum & probatissimorum scriptorum authoritate abundè comprobata & confirmata. Quæ verò videtur esse aliquando in hisce repugnantia & contrarietas, eadem benè sibi constat, dum mutuis subinde disputationibus exagitantur & pensitantur omnia, sicut hactenùs sæpe fieri vidistis, sæpissime autem deinceps factitatum videbitis. Quod ad me verò attinet: mihi profecto est hoc tempore & loco disputandum contra illam Grammaticæ nostræ regulam; quæ docet hæc verba, vtor, fungor, fruor, potior, & similia, ablatiuo gaudere. Tuum

ũm eſt igitur pro virili quàm ſis fortis & ſtrenuus huiuſce regulæ patronus & propugnator oſtendere & comprobare.

Reſp. *Mihi quidem valdè placet mutua hac inter nos ipſos de hiſce rebus concertatio & digladiatio, cuius beneficio hoc tandem effectum iri arbitror, vt veritas ſuâ naturâ obſcura, indagetur, confirmetur, illuſtretur.*

Quæſt. Veniamus igitur tandem aliquando ad rem ipſam propiùs, vt quæ tua ſit ſententia de hâc quæſtione pleniùs & planiùs omnes hîc aſtantes intelligant.

Reſp. *Ego omnia hæc verba ablatiuum regere contendo præter verbum (potior) quod etiam præter ablatiuum aſciſcit aliquando & genitiuum.*

Quæſt. Vtor & fungor apud Plautum & Terentium ſæpiùs iunguntur accuſatiuo, vt & potior, quod pluribus adductis ex vtroque exemplis, in indice noſtro ad finem harum diſputationum adiecto oſtendimus. Falſa eſt igitur hæc regula. Obiectio.

Reſp. *Non ſequitur hoc argumentum. Non enim affirmat Grammatica, hæc verba ablatiuum ſolummodò habere, vel ſemper habere: vel ablatiuum, & nullum alium caſum habere.* Solutio.

Quæſt. Tametſi non habeantur expreſſè hæc verba in hac regula, idem tamen eſt iſtius regulæ ſenſus: aut ſi non ſit, dic apertè an nobis Inſtantia.

liceat

liceat eodem modo loqui?

Resp. *Non opinor esse nobis ita loquendum. Multa enim veteribus sunt concessa, quibus vti nobis non licet.*

Quæst. Quid igitur statuis? Súntne hæ loquendi formulæ figuratæ, & per Antiptosin excusandæ?

Resp. *Non sunt propriè figuratæ appellandæ, quia non solùm ita loquuntur valdè multis in locis Plautus & Terentius, sed & alij probati authores sæpissimè. Sunt tamen (quod multoties anteà est dictum) hæc potiùs notanda, quàm imitanda.*

Quæst. Potior tamen miram habet apud Plautum constructionem in Truculenti act. primo, scæ. 1. vbi sic loquitur: Sin alter alteri potitus est, itidem perit.

Resp. *Ego, quoad hanc hoc loco constructionem, nihil video, quod tanta admiratione dignum sit.*

Quæst. An non quæso? Potior (inquit regula) vel ablatiuo, vel genitiuo gaudet. Hic autem nec ablatiuum, nec genitiuum regit sed potiùs nominatiuum pluralem. Non ergo videtur tibi mirabilis hæc constructio?

Resp. *Ita sanè meritò videretur, si esset hoc loco (vt tu dicis) vox (alteri) nominatiuus pluralis.*

Quæst. Cuius igitur est casus?

Resp. *Est secundum regulam, genitiui singularis.*

Quæst.

Quæst. Genitiuus singularis ab (alter) est alterius, non alteri.

Resp. *Est hîc alteri pro alterius more veterum.* Solutio. *Solebant enim veteres aliquando hæc nomina, vt & pronomina, ille, ipse, iste, inflectere velut adiectiua trium terminationum, sicut sæpius est superius annotatum.* Alteri pro Alterius.

Quæst. Vnum adhuc mihi supereſt de verbo careo, quod licèt ad hanc regulam propriè non pertineat, in proximè tamen præcedente regula affirmatur vel ablatiuum, vel genitiuum postulare.

Resp. *Nec dubium est quin ita faciat.*

Quæst. Sed nullisne alijs casibus iunctum reperitur, nisi genitiuo & ablatiuo;

Resp. *Non sanè, si probè memini. Tu, si potes, contrarium doceto.*

Quæst. Hæc leguntur in Plauti Curculione, Actu primo, Scæna secunda: Quia id quod amo, careo. Hîc contra regulam habet verbum (careo) accusatiuum. Obiectio.

Resp. *Vel est Antiptosis: vel sic resolui potest hæc oratio: Id quod ego amo, eo careo. Sic ferè Lambinus, quod eodem recidit. Iam autem locum demus alijs.* Solutio. Lambinus.

DISPVTATIO DE REGIMINE VERBORUM IMPERSONALIUM.

QVAESTIO.

48 *An illa omnia verba ſint pro impersonalibus accipienda, quæ talia eſſe affirmantur in Grammatica? Et num eoſdem etiam caſus regant, qui ibidem exprimuntur?*

Præfatiuncula.

Quæſt. Multis fuit hactenùs, & variè diſputatum, tum de orationis partibus declinabilibus extra conſtructionem per ſeſe conſideratis, tum verò de eiſdem quatenùs in conſtructione coniunguntur, alióſque vel poſt ſe caſus requirunt, vel ſibi inuicem in quibuſdam attributis & accidentibus, vtpote numeri, perſonæ, caſus, & generis cohærent & concordât. Eſt autem in hiſce ſatis ampla propoſita materia, & occaſio ſimiliter in alijs regulis diſputandi ſtudioſis adoleſcentulis. Non enim hîc omnia proſequi, vel noſtri fuit inſtituti, vel neceſſe adeò fuit, ne libri moles in immenſam magnitudinem excreſcere. Addent fortaſſe alij & alia impoſterum, noſtro exemplo & labore prouocati. Reſtat tamen adhuc vt aliquid dicatur generaliter, paucis tamen de verborum impersonalium

sonalium regimine, ne nimiâ prolixitate, illis qui postea de carminum ratione, syllabarùmq; quantitate disputaturi sunt, iniurius esse videar. Dic ergo primum generaliter an tu omnia illa impersonalia esse putes, quæ ita esse traduntur in illis regulis quæ habentur in Grammaticâ de impersonalium regimine:

Resp. *Statuendum est omninò illa esse impersonalia, vel non possunt illis accommodare regulæ nostræ Grammaticales.*

Quæst. Impersonalia esse non possunt, quia multa ex illis inclinantur personarum varietate, vt placeo, conuenio, conduco iuuo, delecto, doleo, deceo, & similia. Obiectio

Resp. *Saluo semper aliorum saniore iudicio, ego opinor sic posse tueri regularum Grammaticalium de verbis impersonalibus veritatem, nempè, si dicamus, illas intelligendas esse de hisce verbis solummodò, quatenùs, impersonaliter vsurpantur, hoc est, quatenùs reperiuntur apud probatos authores in voce, tertiæ personæ singularis vsurpata.* Solutio.

Quæst. Intelligo quid velis, nempè vsurpari nonnunquam impersonalia quædam personaliter: sed nolo quod possum contra hanc solutionem obijcere, hoc tantum quæram de verbo (interest) quem scilicet casum regat?

Resp. *Regit genitiuum, præter hos ablatiuos, meâ, tuâ, suâ, nostrâ, vestrâ, cuiâ.*

Quæst. Quomodo ergo defendis Terentium Obiectio.

num illud in ipſo ferè initio Adelphorum: hoc dominus, ac pater intereſt.

Reſp. *Ego in hac ſententia nihil deprehendo, quod culpari iure debeat.*

Quæſt. Verbum (intereſt) hoc loco cum nominatiuo (dominus) iunctum reperitur.

Solutio. Reſp. *Imò verò regit ablatiuum* (*hoc*) *nempè ad hunc modum: Dominus, ac pater hoc intereſt.*

Inſtantia. *Quæſt.* Fieri hoc non poteſt. Intereſt enim vel regit genitiuum, vel ablatiuum horum vocabulorum: meâ, tuâ, ſuâ, noſtrâ, veſtrâ, cuiâ.

Solutio. Reſp. *Sed cùm variè conſtruitur, varios etiam caſus regit. Eſt igitur dictio* (*hoc*) *in hac ſententia ablatiuus, rectius à præpoſitione* (*in*) *ſubaudita, non autem à verbo intereſt.*

Alia inſtantia. *Quæſt.* Non ſic euades. Quid enim reſpondes de vocabulis dominus, ac pater? hæc namque videntur regi à verbo (intereſt) in nominatiuo contra regulam.

Solutio. Reſp. *Non ſunt hæc vocabula nominatiui caſus poſt verbum intereſt, ſed potiùs ante verbum intereſt, hoc ſenſu: Dominus, ac pater hoc intereſt, hoc eſt, hac in re differunt.*

Quæſt. Facis ergo verbum (intereſt) hoc loco verbum perſonale.

Reſp. *Et meritò. Remigrant enim nonnulla impерſonalia aliquando in perſonalia.*

Inſtantia. *Quæſt.* At non eſt in horum remigrantium numero verbum (intereſt).

Reſp.

Resp. *Non exprimuntur omnia, sed quædam ex illis quæ aliquando fiunt personalia.* Solutio.

Quæst. Sed neque hac ratione adhuc mihi rectè satisfacis. Nam si detur tibi esse interest, hoc loco verbum personale, tamen esse deberet pluralis numeri. Nôsti enim regulam: Copulatum per coniunctionem, &, nec, neque, & cum pro & acceptum, est pluralis numeri: ac proinde verbum, aut Adiectiuum, aut relatiuum exigit plurale. Instantia. Regula.

Resp. *Fit tamen hîc per figuram Zeugma, vt verbum sit singulare.* Solutio.

Quæst. Requiritur nihilominùs in Zeugmate, vt nominatiui sint diuersarum personarum. Instantia.

Resp. *Ita quidem requirit Zeugma constructionis, sed in Zeugmate locutionis, vti docet Grammatica, possunt nominatiui eiusdem esse personæ.* Solutio.

Quæst. Scitè tu quidem & aptè meâ profectò sententiâ respondisti. Sed tamen non hîc desistam. Habeo enim adhuc vnam, atque alteram obiectionem proponendam, qua tuarum virium vlteriùs etiam periculum faciam. Et hæc quoq; ad finem huius disputationis in tertiâ editione addebantur.

Resp. *Quò plura obijcias, eò pleniùs & planiùs constabit regularum Grammaticalium veritas & stabilitas.*

Quæst. Docet Grammatica verbum impersonale (dolet) regere debere datiuum. Ego tamen Obiectio.

men apud Plautum in Aululariæ act. 4. scæ. 7. cum accusatiuo iunctum reperio.

Resp. *Recita illius verba.*

Quæst. Perij mea nutrix, obsecro te, vterum dolet.

Solutio. Resp. *Non est hoc loco (vterum) accusatiui casus, sed nominatiui, nec est (dolet) verbum impersonale, sed personale.*

Instantia. *Quæst.* Vt concedam verbum (dolet) esse hic personale (tentandi enim gratia volebam tibi imponere, cum verbum (dolet) impersonale esse affirmauerim) non potest tamen (vterum) esse nominatiui casus, cum veniat ab (vterus, vteri.)

Solutio. Resp. *Lambinus in hunc locum annotat apud veteres fuisse in vsu (vterus) masculini generis & (vterum) neutrius generis, quod obseruent diligentiùs rei literariæ tyrunculi.*

Quæst. Pergo. Hæc impersonalia iuuat, decet, delectat, oportet, secundum regulam regunt accusatiuum.

Resp. *Ita quidem, & verè docet Grammatica.*

Obiectio. *Quæst.* Quam verè igitur & congruè loquitur Plautus in Amphitruonis actu secundo, scæ. secundâ: Istud factum quod tu insimulas, nostro generi non decet. Et iterum, actu 3. 4. ornatum capiam, qui potis decet. Sic Terentius: vobis decet. Et in Adel. Imò herclè nobis

bis decet. Sic Ciſtell. Act. 1. 1. Quando tibi iuuat vale. In hiſce omnibus (decet) iungitur datiuo contra regulam.

Reſp. *Eſt Græciſmus in his & ſimilibus locutionibus. Illi enim dicunt:* ὑμῖν πρέπει. *Quin & hæc præterea notat Taubmanus ad hunc locum: Antiqui, ſi addebant ſtatim verbum: nos decet facere. Nos decet dicere, dicebant: Si non addebant: Nobis decet. Sic in libris Iuris: Decet enim tantæ maieſtati eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus videtur.* Solutio. Taubmani obſeruatiuncula.

Quæſt. Meritò te amabunt de hâc annotatiunculâ ſeduli & ſtudioſi Scholaſtici. Sed iam monet tempus vt & illi quoque audiantur, qui ſuas rationes in medium ſunt adducturi contra regulas Grammaticales quæ traduntur de quatuor orationis partibus indeclinabilibus, non ſimpliciter per ſeſe conſideratis, ſed quatenus in conſtructione iunguntur, & vel regunt poſt ſe caſus, vel copulant inter ſeſe caſus, modos, & tempora verborum.

Reſp. *De his in ſuperioribus harum diſputationum editionibus nihil eſt omninò vel obiectum, vel reſponſum. Hic igitur optimè de Scholarum trivialium alumnis mereberis, quos in hâc quoque parte inſtructiores ad ſophiſtarum eludendas captiunculas efficies.*

Hæc tota disputatio in tertiâ editione addebatur.

DISPVTATIO DE QVATVOR orationis partibus indeclinabilibus, eorúmque regimine.

QVAESTIO.

49 *An possint defendi regulæ, quæ de regimine quatuor partium orationis indeclinabilium traduntur?*

Præfatiuncula.

QVæst. Est & hic locus (Auditores optimi) satis locuples & vber, multáque administrans & exhibens disputandi argumenta: nos tamen pauca è multis delibantes, ne & tædiosi esse videamur, & alijs præripiamus omnem de hisce rebus concertandi & digladiandi materiam, quæ præcipua & maioris momenti esse videbuntur, pro more nostro breuissimè pertractabimus. Vbi in ipso ferè initio de regimine aduerbij magna occurrit difficultas & repugnantia inter ipsas Grammaticæ regulas, quam nisi tu dextrè reconciliare possis (sodalis optime) tale infligetur & tam grande vulnus in ipsam quasi faciem & frontem Grammaticæ nostræ, cuius cicatrix in æternum durabit, nec vllo, vel longissimo temporis interuallo curari & sanari poterit. In heteroclitis enim perhibe-

tur

tur vocabulum (inſtar) eſſe nomen indeclinabile, in regimine verò aduerbij affirmatur eſſe aduerbium, & genitiuum regere.

Reſp. *Bona verba quæſo. Nam quod tu ſperas, propulſabo facilè.*

Quæſt. Mane dum. Maior eſt enim difficultas, quàm tu fortè ſuſpicaris. Si ſit enim (inſtar) nomen, aduerbium eſſe non poteſt: è contra verò, ſi ſit aduerbium, nomen eſſe nequit.

Reſp. *Exſpecto vt vtrumque hoc probes, eſſe ſcilicet iuxta Grammaticam, vocabulum (inſtar) & nomen, & aduerbium.*

Quæſt. Faciet vtrumque hoc pro me ipſa Grammatica: Quæ nullum variant caſum, vt fas, nil, nihil, inſtar, & quæ ſequuntur. Vbi vides Grammaticam affirmare (inſtar) eſſe nomen. Docet itidem Grammatica (inſtar) eſſe aduerbium, cum illud collocet inter aduerbia genitiuum regentia.

Reſp. *Videtur tamen hoc ipſum refellere, quod poſteriùs affirmâſti, cum in eadem regula iungat dictionem inſtar in accuſatiuo cum præpoſitione ad: Vallis ad inſtar caſtrorum clauditur.*

Quæſt. Non eſt quod magnoperè pro hoc vocabulo contendamus, præſertim cum hac de re varient doctorum virorum ſententiæ. Alij enim aduerbiũ eſſe volunt, alij verò nomen eſſe affirmant, inter quos eſt eruditiſſimus Cooperus (quem honoris cauſa nomino) in magno Solutio. Cooperus.

ſuo

ſuo magni laboris, induſtriæ & ſudoris, linguæ Latinæ Theſauro, cuius & ego lubens iudicio ſubſcribo. Sed fruatur quiſque ſuo ſenſu. Hoc enim relicto argumento, feſtino ad aliud. Hoc autem me hic malè habet de aduerbiorum regimine, quod quædam aduerbia quibuſdam caſibus iuncta reperio de quibus nulla omninò in Grammaticâ noſtrâ fit mentio, nulláque prorſùs extat regula pro hoc eorundem regimine.

Reſp. *Quænam ſunt illa tandem? Nam ſi talia proferas, fieri poteſt, vt facilè ſtatuamus quid de his pueri reſpondeant.*

Obiectio. *Quæſt.* Aduerbium clanculum apud Terentium ſtatim in initio Adelphorum cum accuſatiuo iunctum reperitur: Alij clanculum patres quæ faciunt. Nec vlla in aduerbiorum regimine exprimitur regula cur hoc faciat, niſi mea me multum fallat memoria.

Quæſt. At talis illic habetur regula: quædam accuſandi caſum admittunt præpoſitionis, vnde ſunt profecta.

Reſp. *Sed clam præpoſitio, vnde proficiſcitur aduerbium (clanculum) ablatiuo iungitur.*

Solutio. *Quæſt.* Adde ſæpiùs, vel ſi placet, ſæpiſſimè, & ſic verum illius regulæ ſenſum explicabis. Nam aliquoties etiam, præſertim apud Plautum, accuſatiuum regit. Vide indicem.

Reſp. *De his igitur, & ſimilibus ſic reſpondeo: Quemadmodum paulò ſuperiùs de aduerbiorum rectione*

rectione præcipitur: Quædam datiuum admittunt nominum vnde deducta sunt: non video cur non eodem modo in imperitiorum gratiam huiusmodi regula adyci possit: Quædam aduerbia admittant casus (quoscunque scilicet) præpositionum vnde sunt deducta.

Quæst. Sed sub hâc regulâ comprehendi non potest, aduerbium procul, quod apud probatos authores aliquando ablatiuo, interdum etiam accusatiuo iungitur. Accusatiuo: Curtius: Procul vrbem. Liuius: Locus procul muros. Ablat: Curtius: Procul muro: Liuius: Procul mari incolebant: Virg. procul discordibus armis. Instantia.

Resp. *In his & similibus locutionibus procul non est aduerbium, sed præpositio, de quo vocabulo tradit in Lexico suo Cooperus hanc regulam: Procul aliquando præpositio est, & interdum ablatiuo, nonnunquam accusatiuo iungitur.* Solutio. Regula Cooperi.

Quæst. Reliqua, quæ de aduerbiorum regimine adijci poterant lubens omitto, breuitatis gratiâ: nec hîc quicquam eâdem ratione motus contra coniunctionem proponam. Propero enim ad præpositionis regimen, vbi, vt in campo aliquantulum fertiliore, diutiùs fortassis immorabor. Primùm itaque dic mihi quem casum regat præpositio (clam)?

Resp. *Clam regit ablatiuum.*

Quæst. Sic tamen loquitur Plautus in Amphitruonis Obiectio. Clam.

phitruonis Prologo: Is amare occepit Alcumenam, clam virum. Et iterum in Asinariæ scæ. 2. Hic senex si quid clam vxorem suo animo fecit volup', neque nouum, nec mirum fecit. Et centiès alibi ad eundem modum. Quid tu ad hæc?

Solutio. Resp. *Vsitatissimè iungitur clam præpositio ablatiuo: aliquando autem, atque adeò sæpiùs etiam apud veteres cum accusatiuo iunctum reperias.*

Quæst. Sed in illo Asinariæ testimonio est & aliud, quod explicatione indigeat, vbi dicit: Si quid volup' fecit animo suo, &c.

Resp. *Si quid volup', pro, si quid voluptatis.*

Alia obiectio. *Quæst.* Est & alius locus apud Plautum in Aulularia, vbi clam præpositio regere videtur vel nominatiuum vel genitiuum. Verba eius hæc sunt: Concredidit auri thesaurum clam omnis.

Solutio. Resp *Non est (omnis) ibidem loci vel nominatiuus, vel genitiuus singularis, sed accusatiuus pluralis, pro omnes, vel potiùs omneis. Vsitatissimè enim veteres terminabant accusatiuum pluralem tertiæ declinationis in* eis, *& postea ex diphthongo* ei, *demebant vocalem* e, *vt pro parteis, partis; pro claueis, clauis; & hoc loco pro omneis, omnis, vt sexcenties alibi. Minuta quidem sunt hæc. Sed cum in puerorum gratiam omnis hic labor sit institutus, non pudet pigétue has etiam persequi illorum ergo minutias.*

Quæst.

Quæst. De præpositione (clam) hæc disputâsse sufficiat. Videtur autem (cum) præpositio cum accusatiuo vel nominatiuo poni apud eundem Plautum in Amphitruonis prologo hisce verbis: Quod ego huc processi sic cum seruili schema. Norunt enim omnes, schema esse neutrius generis, vt problema, diadema, dogma, glaucoma, syrma, & similia. Alia obiectio.

Resp. *Vt multa in pauca contraham (breuitati enim studeo), solebant veteres hæc & huiusmodi aliquando efferre per primam declinationem & genere fœminino. Est igitur hîc schema, pro schemate. Ita etiam leges apud Antiquos interdum diademam, dogmam, glaucomam, & similia, de quibus fusiùs & pleniùs in hunc ipsum locum Lambinus Gallorum lumen & decus.* Solutio.

Quæst. Vt vt hæc omnia rectissimè respondisti, non potes tamen eádem vt (opinor) facilitate satisfacere huic Plauti loco, ex Sticho, Comœdia desumpto, vbi manifestò deprehendes (cum) præpositionem in hac constructione positam: postquam me misisti ad portum cum luci simul. Alia obiectio.

Resp. *Quid hîc demùm est noui aut inusitati?*

Quæst. Ponitur hîc præpositio (cum) cum datiuo luci.

Resp. *Docet quidem Grammatica hos datiuos tempori, luci, vesperi poni interdum aduerbialiter, pro tempore, luce, vespere: sed hoc loco est vox (luci)* Solutio.

non

non datiui, ſed ablatiui caſus iuxta regulam. Commutabant enim veteres ſæpiùs e *in* i *in ablatiuo ſingulari tertiæ declinationis.*

Quæſt. Excutiamus iam regimen præpoſitionis (præ) quam tradit Grammatica regere debere ablatiuum.

Alia obiectio. Reſp. *Et rectè quidem tradit.*

Quæſt. Recténe ergo loquitur Plautus in Stichi.act.2.ſcæ.3. Imò omnis res relictas habeo, præ quod tu velis.

Reſp. *Quid tu hìc quæras neſcio.*

Quæſt. Imò queror potiùs, quod contra Grammaticam, gaudeat hoc loco præpoſitio (præ) accuſatiuo: præ quod.

Solutio. Reſp. *Subintelligitur antecedens (eo) præ eo, quod tu velis.*

Inſtantia. *Quæſt.* Eſto, quia contra verboſum, verbis contendere nolo. Dura tamen eſt hæc conſtructio: omnes res relictas habeo præ eo, cum potiùs dicendum fuiſſet, præ ijs rebus, quas tu velis.

Solutio. Reſp. *Latet hic ergo Enallage tam generis quàm numeri in Antecedente (eo) ſubintellecto, pro (ijs) & relatiuo (quod) ſequente, pro (quas).*

Alia obiectio. *Quæſt.* Abundè mihi ſatisfacit hæc ſolutio. Occurrit tamen alius locus in Plauto difficilior vbi præpoſitio (præ) expreſſè regit datiuum.

Reſp. *Illum ego locum perquàm libentiſſimè videre velim.*

Quæſt.

Quæst. Extat is locus in Plauti Pœnulo, act. 3. scæ. 3. Trecentos nummos Philippos portat præ sibi.

Resp. *Me quidem torsit aliquando non parum hic locus, quem tamen Lambinus, quasi nulla omninò ineſſet difficultas, ſic explicat breuiſſimè: præportat ſibi, vel præ ſeſe portat.* Solutio. Lambini.

Quæst. Alij tamen, in quibus est Taubmanus qui omnium (quod sciam) nouissimè, doctissimos edidit in omnes Plauti Comœdias Commentarios plures adferunt huius loci solutiones, quas non pigebit (quo magis studiosorum commodo & emolumento inseruiam) huc ascribere.

(Præ sibi). præportat sibi, seu, præ se portat: At I. Gul. Leg. præsidij. Et præsidium eleganter pro comeatu, siue viatico positum ait, quod fami arcendæ sit. Vt Persâ, act. 1. 3. Portare igitur nummos præsidij, est in commeatum, & sumptum secum ferre. At Meurs. corrigit: portat præs sibi: vt dicat, eum sibimet prædem esse nec opus alio habere: cum sit tam benè nummatus. Solutio. Taubmani.

Resp. *Qui his non erit contentus, quærat, si velit, alios. Sed si quid habes præterea scrupuli de præpoſitionum regimine, illud tandem audiamus.*

Quæst. De regimine præpositionis (ad) committam Grammaticam cum Grammaticâ, quæ, eum doceat hanc præpositionem accusatiuum exigere,

exigere, alibi duobus adductis teſtimonijs, altero ex Terentio, altero ex Horatio (nifallor), oſtendit eandem præpoſitionem adſciſcere genitiuum.

Reſp. *Quæ ſunt illa exempla?*

Quæſt. Ex Terentio: vbi ad Dianæ veneris. Ex Horatio: ventum erat ad Veſtæ.

Solutio. Reſp. *Si qua ſit hîc repugnantia, eandem facilè componet ipſa Grammatica. In his namque locis, genitiui (Dianæ & Veſtæ) non reguntur à præpoſitione (ad) quæ ſemper gaudet accuſatiuo, ſed à dictione (templo) ſubaudito.*

Quæſt. Vnicum adhuc reſtat argumentum, quod proponam contra regimen præpoſitionis (aduerſum), quæ ſecundum regulam poſtulat ac cuſatiuum.

Reſp. *Potésne alicuius probati authoris teſtimonio demonſtrare hanc præpoſitionem vllum alium caſum præter accuſatiuum poſtulare?*

Quæſt. Siue poſtulet, ſiue non poſtulet, ne-
Alia obiectio. ſcio. Inuenio tamen hanc præpoſitionem iungi aliquando datiuo.

Reſp. *Quis eſt author?*

Quæſt. Eſt mihi Plautus inſtar omnium. Sic enim ille in Menæchmis, actu. 3. ſc. 1. Edepol venio aduorſum tempori.

Solutio. Reſp. *Non eſt (tempori) hoc loco aduerbium ſed nomen aduerbialiter poſitum. Nec regitur a voce aduorſum, quæ non eſt hîc præpoſitio, ſed aduerbium*

bium. Ponitur enim absolutè sine casu suo, hoc sensu: veni tempori, id est, opportunè & commodè, aduorsum (scilicet Menachmum) à quo ad prandium se credebat vocatum iri.

Quæst. Non incommoda videtur hæc solutio. Sed locus est alius apud Plautum in Mostellariâ manifestior, vbi præpositio aduorsum, datiuo iungitur, cuius loci hæc sunt verba: Ad uorsum venire mihi ad Philolachem volo tempore, audi, hem, tibi imperatum est. Quomodo te hîc expedies, Grammaticámque tuam tutaberis? In Plauti Mostellariâ.

Resp. *Quid tu hinc colligis quod contra Grammaticam faciat?*

Quæst. Quâ fronte negare potes præpositionem (aduorsum) hoc loco datiuum regere, cùm clarè & apertè dicatur: aduorsum mihi? Alia obiectio.

Resp. *Fronte meliore longéque verecundiore quam tu hinc queas sophistice concludere contra Grammaticam.*

Quæst. Egòne sophisticè tecum ago, qui nudis huius loci verbis insisto?

Resp. *Imò subdolè calas pronomen (te) quod est substantiuum huic adiectiuo (aduersum) quod hoc loco non est præpositio, sed nomen, regítque datiuum, mihi, per tritam illam regulam: Nomina diuersitatis regunt aliquando datiuum, vt huic diuersum.* Soluzio.

Quæst. Eget hic locus pleniore atque etiam planiore adhuc explicatione.

Lambini explicatio.

Resp. *Sic igitur resoluenda est hæc sententia, idq; ex magni illius Lambini opinione: puerum alloquitur. Sententia autem hæc est, volo te puer mihi tempori aduersum venire ad Philolachem, id est, domum Philolachis, quò nunc commissatum eo. Venire aduersum autem mihi à Philolache, ad quem nunc eo, scilicet redeunti, ne redeam incomitatus. Hinc dicuntur pueri aduorsitores, qui eunt heris suis aduersum, id est, obuiam, ne veniant incomitati.*

Pueri aduorsitores.

Alia obiectio.

Quæst. Est tamen adhuc locus alius in Menæchmis, qui huiusmodi resolutionem admittere nullo modo potest: Tum facito ante solem occasum, vt venias aduorsum mihi.

Resp. *Si tam obnixè & contumaciter adhuc contendis esse in hâc Plauti sententiâ dictionem (aduersum) præpositionem (non autem video qua ratione hoc facilè negari possit) datiuùmque admittere:*

Solutio.

sic tibi respondeo, quod quemadmodum nonnulla aduerbia regunt datiuum nominum vnde deducta sunt: ita etiam quædam præpositiones datiuum admittunt nominum vnde deductæ sunt. Hoc tamen responsum doctiorum iudicio permitto.

Quæst. Hanc etiam solutionem tuam pro meâ parte non reprehendo. Est tibi tamen alius nodus in hâc sententiâ enodandus. Valde enim

enim mira mihi videtur hæc locutio. Ante solem occasum. Video tamen Plautum semel atque iterum ita fuisse locutum, vt fusiùs in indice nostro videre liceat. Ante solem occasum.

Resp. *Ante solem occasum, pro ante solis occasum more veterum. Est enim in hâc sententiâ occasum participium rarissimi apud veteres & antiquos vsus, sed iam penitùs & prorsùs omninò exoleuit.*

Quæst. Satis iamdiu, nimiúmque fortassis in præpositionis regimine commorati sumus. Quare si vnam atque alteram obiectiunculam contra Interiectionum regimen in medium protulero, dabitur locus de carminum generibus, syllabarúmque quantitate disputaturis.

Resp. *Est quod tibi meritò gratias habent Scholarum alumni, si & hic quoque quædam proferas, quibus contra dolosas nugatorum & cauillatorum captiunculas sese munire & tutari queant.*

Quæst. Hîc quæro inprimis quem casum postulet Interiectio (hem)?

Resp. *Ponuntur non rarò interiectiones absolutè & sine casu, in quarum numero ponendam esse puto interiectionem (hem). Ne γϱυ enim de illius in Grammaticâ nostrâ regimine.* Obiectio

Quæst. Hem astutias, legimus apud Terentium, Et apud Ciceronem (si benè memini) Hem tibi voluptatem. Ita etiam apud Plau- Hem.

tum & alios sæpiùs cum accusatiuo iunctum reperitur.

Solutio. Resp. *Non potuit omnia simul præcipere nostra Grammatica, & fortassis breuitati studens, de industriâ multa præteriit apud alios quærenda, qui hæc Grammaticalia tractant fusiùs.*

Alia obiectio. *Quæst.* Quin & interiectio (heus) alijs aliquando casibus (vt reliquas interiectiones prudens omittam, breuissimus enim esse cupio) quàm qui in Grammaticâ illi tribuuntur scilicet nominatiuum & accusatiuum, de quibus in Lexico suo consule Cooperum.

Solutio. Resp. *Respondeo, propositum & institutum Grammaticæ nostræ authori & compilatori fuisse (quisquis tandem ille fuerit) illos præcipuè casus interiectionibus tribuere, quos vsitatiùs & frequentiùs apud probatos authores habere reperiuntur. Debent tamen studiosi iuuenes diligentiùs etiam obseruare, quos præterea casus aliquando, licèt rarissimè in authorum sedulâ lectione, regere videantur. Sed agamus deinceps de carminum & syllabarum quantitate.*

DISPVTA-

DISPVTATIO DE CARMINVM ratione, siue de primarum *syllabarum quantitate.*

QVAESTIO.

An vera sint omnia, quæ habentur in Grammatica de primarum syllabarum quantitate? 50

Quæst. Audiuistis & attentis auribus, æquisque animis, pro solitâ vestrâ mansuetudine & clementiâ (viri ornatissimi) audiuistis quæ a socijs & condiscipulis meis charissimis, qui priùs in hanc arenam disputaturi ascenderunt, satis acriter & animosè sunt prolata, tam ad propugnanda, quàm oppugnanda Grammaticæ nostræ Lilianæ, in multis propositis quæstionibus & argumentis, præcepta. Restat vt eâdem facilitate & patientiâ me iam penè vltimùm & extremum, tum ordine & loco, tum etiam ætate, staturâ, ingenio & viribus minimum & pusillum, de carminum ratione, & primarum syllabarum quantitate disputantem pro solitâ scholæ nostræ consuetudine, benignè audire dignemini. Atque hâc spe solâ fretus, hoc onus humeris meis impar in me hoc tempore suscepi, quod si minus dextrè fortasse sustinuero, Præfatiuncula.

ſtinuero, non hoc certe voluntatis, ſed facultatis defectui & inopiæ imputabitis, vnde etiam ſpem veniæ maiorem à vobis facilè impetrandæ animo meo concepi. Sed omiſſis verborum ambagibus, me iam monet tempus, vt te (condiſcipule chariſſime, vel potius quàm diù inter nos concertaturi & digladiaturi ſumus, aduerſarie acerrime) tandem adoriar & aggrediar, à quo perquam libenter ſciſcitari velim, quàm ſis paratus ad Grammaticæ veritatem de carminum ratione, & primarum ſyllabarum quantitate tutandam & defendendam?

Reſp. *Sunt illa omnia certiſſima & firmiſſima quæ de hiſce docet Grammatica.*

Carmen Phaleucium.

Quæſt. Quæro igitur ex quot pedibus conſtet carmen Phaleucium, ſiue Phalecium?

Reſp. *Eſt hoc extra oleas vagari, hoc eſt, te non continere intra limites & terminos propoſitæ quæſtionis, vbi præcipuè eſt agendum non de carmine Phaleucio, ſed de primis dictionum ſyllabis.*

Quæſt. Tu tandem, ſi ad hanc quæſtionem mihi reſpondere dignaberis, videbis facilè me non vagari, ſed quod agendum eſt, agere, hoc eſt, de veritate regularum Grammaticalium in quantitate primarum ſyllabarum diſputare.

Reſp. *Conſtat carmen Phaleucium ex quinque pedibus, Spondæo, dactylo, & tribus demùm trochais.*

Quæſt. Cuiuſmodi igitur eſt hoc carmen Catullianum?

tullianum? Vno in lectulo erudituli ambo?

Resp. *Est carmen Phaleucium, cuius frequens est vsus apud eundem Catullum.*

Quæst. Si hoc concedis, concedas itidem oportet Catullum breuem in hoc carmine fecisse positionem in dictione (lectulo). Peccat itaque contra primam regulam de primarum syllabarum quantitate. Omnis namque positio debet semper esse naturâ longa, sine vlla prorsùs exceptione. Obiectio.

Resp. *Magnâ vtitur Catullus multis in locis licentiâ, si quis inter poëtas alius: absit tamen vt erret tam turpiter.* Solutio.

Quæst. Vel non erit secundus pes dactylicus in hoc carmine, vel necesse est hîc breuem fieri positionem. Instantia.

Resp. *Neutrum est necesse. Nam & pes secundus potest hîc esse dactylicus, & tamen nulla hîc erit breuis positio.*

Quæst. Si ita mensures vt in primo Spondæo omittas elisionem hoc modo: Vno in lectulo, quomodo non erit (le)in lectulo positurâ breuis?

Resp. *Non ita mensuro, sed potiùs sic: Vn'in lectulo erudituli ambo.* Solutio.

Quæst. Obstinatè & proteruè hoc facis, ne si meo modo scanderes, ineuitabiliter in breuem positionem impingeres. Præstaret autem ita scandere. Nam tuo more scandendo duo

errata committis, quorum vnum quodque non leuius erit, quàm si breuem positionem faceres: vel saltem vtrunq; coniunctum æquiualebit breui positioni.

Instantia.

Resp. *Quæ sunt illa duo errata tam grauia & enormia, si tibi saltem credatur?*

Quæst. Primò non elidis (o) in lectulo ante sequentem vocalem (e) in erudituli. Deinde illud ipsum (o) corripis, cùm sit ablatiui casus, ac proinde semper longum natura.

Solutio.

Resp. *Aa primùm quod attinet, sic habeto. Solent Poetæ sæpiusculè Synalæphen inter mensurandum omittere, idque (vt a præceptore audiui) ad morem Græcorum faciunt. Ad secundum etiam sic affirmo, vocalem nempè sic reseruatam sine elisione, si sit longa naturâ (qualis esse deberet (lo) in lectulo in hoc carmine) aliquando retinere natiuam suam quantitatem: aliquando verò (vt in hoc loco) corripi ante vocalem in dictione sequente, acsi prima esset vocalis ante vocalem in eâdem dictione, quæ regulariter breuis esse debeat.*

Synalæphe sæpiùs prætermissa.

Quantitas vocalis non elisę apud poëtas.

Quæst. Sunt hæc verissima, quæ affirmâsti omnia. Solet tamen aliter ad hoc carmen responderi.

Resp. *Si tibi minùs satisfaciat prior mea solutio: dico in secundo loco poni in hoc Phaleucio Trochæum pro Dactylo, quod est apud hunc poëtam vsitatissimum. Tu (si placet) vel vtere ab hâc obiectione: vel da locum alteri, qui hoc idem præstare velit.*

Trochæus pro dactylo.

Quæst.

Quæst. Non placet vlteriùs tecum hoc ipso loco & tempore disputare.

DISPVTATIO SECVNDA DE quantitate vocalis ante *vocalem*.

QVAESTIO.

An breuis sit vocalis ante vocalem in eâdem dictione? 51

Præfatiuncula.

Quæst. Si mihi esset integrum (viri ornatissimi) quod mihi hoc tempore incumbit onus disputandi ab humeris meis reijcere & deponere, ego quidem illud facerem libentissimè; cum mihi probè sim conscius, quàm sim ad hoc præstandum inpar & inualidus ob rei literariæ imperitiam & inscitiam. Est tamen audendum, & virium mearum faciendum periculum hodierno die, in hâc tractandâ quæstione de vocalis ante vocalem quantitate. Experiar igitur & quid ego possim oppugnando, & quid tu præstare potes propugnando in hoc eodem argumento. Doce igitur quanta sit vocalis ante vocalem in eâdem dictione.

Resp. *Vocalis ante vocalem in eâdem dictione vbique breuis est, quæ non est aliâ ferè regula magis generalis.*

Quæst.

Quæſt. Cur addis hanc clauſulam (in eâdem dictione)? cum etiam in diuerſis dictionibus reperiantur apud Poëtas vocales ante vocales correptæ.

Reſp. *Hoc non ſit ita frequenter, ſed rarò admodum. Quia vocalis ante vocalem in diuerſis dictionibus, vel eliditur: vel ſi non elidatur, ſi ſit naturâ producta (quod ſæpè ſit in quibuſdam vocalibus finalibus in caſibus obliquis) tum ſit huiuſmodi vocalis communis, hoc eſt, aliquando breuis, aliquando verò longa, idq; (vt audiui) ad imitationem Græcorum.*

Obiectio. *Quæſt.* Eſt hoc quidem probè à te obſeruatum. Sed vt redeam ad id, quod propiùs ad inſtitutum meum in hâc obiectione facit, reſpondè tandem quanta ſit (*i*) in (Iuno), & (*u*) in (vanus), & ita in multis alijs ſimilibus?

Reſp. (I) *in* (*Iuno*) *eſt longa, quemadmodum &* (u) *etiam in dictione* (*vanus*), *quod de alijs ſimilibus dictum eſto.*

Quæſt. Non eſt ergo ſemper vocalis ante vocalem breuis, ac proinde falſa erit hæc regula.

Solutio. Reſp. *Non eſt ita omninò neceſſe. Non ſunt enim* (i) *&* (u) *in his & ſimilibus dictionibus vocales, ſed conſonantes.*

Inſtantia. *Quæſt.* Non ſunt igitur quinque, ſed tres ſolummodò vocales, ſi ex illarum numero demas (*i*) & (*u*), quod tamē alibi affirmat Grammatica.

Reſp.

Resp. *Video mihi rem esse cum callidâ & astutâ vulpeculâ. seu potiùs cum versuto & subdolo caullatore. Respondeo igitur & esse, & non esse* (i) *&* (u) *vocales, sed diuersore spectu.* Solutio.

Quæst. Loquere apertiùs. Non enim intelligo hæc tam abstrusa. Dauus namque sum, non Oedipus.

Resp. *Facilè hoc euincunt mores tui. Sic autem apertè loquor, esse scilicet* (i) *&* (u) *vocales cum præcedentem, vel subsequentem habeant consonantem in eâdem syllabâ: consonantes verò sunt, cum vel sibi, vel alijs vocalibus aut diphthongis in eâdem syllabâ præponantur.*

Quæst. Nihil tu quidem iam circutione vsus es. Satis enim aperte distinxisti. Constat tamen sæpissimè produci etiam in Latinis vocabulis vocalem ante vocalem, vt in his exemplis: Aulaï in medio: Diues opum, diues pictaï vestis, & auri. Furit intus aquaï. & multoties in similibus alijs apud Lucretium, Ennium, & alios plerosque. Obiectio. Vocalis ante vocalem producta.

Resp. *Sunt hæc prisca & antiqua, quorum vsus iam obsolevit, nec nobis hodiè imitanda.*

Quæst. Quid hoc ad rem, sint ne hæc siue vetera, siue recentia? Nam in hisce omnibus, idque semper etiam, vocalis ante vocalem producitur contra regulam.

Resp. *Si non placet prior solutio, affirmo* (ai) *in hisce* Alia solutio.

hiſce vocabulis eſſe diphthongum, diuidi verò per diæreſin & poſt diuiſionem, retinere diphthongi quantitatem, hoc eſt, manere ſemper longam.

Obiectio. *Quæſt.* Non ſic quidem effugies. Quanta enim eſt prima ſyllaba in hiſce & ſimilibus vocabulis, Caï, Pompei, Vulteï?

Soluio. Reſp. *Ego puto eſſe breuem iuxta regulam, Nulla enim eſt exceptio in Grammaticâ noſtrâ, cur produceretur.*

Quæſt. Imò eſt ſemper longa, cuius ego rationem, ſi quam adferre potes, abs te libenter audire velim.

Reſp. *Ego nullam tibi poſſum huius rationem reddere, cuius nulla omninò fit mentio in noſtrâ Grammaticâ.*

Quæſt. Quod hîc ergo deficit, ne pudeat aliunde didiciſſe. Docent enim alij produci primas ſyllabas, vel penultimas, (ſi vocatiuus ſit hyperdiſſyllabus) in his & ſimilibus, quia nimirum apud veteres duplici (ij) ſcribebantur, atque ita poſitione producebantur, quæ ſcribendi forma, licet iam non ſit in vſu, ſyllabæ tamen quantitas remanſit.

Cur producatur vocalis ante vocalem in his dictionibus.

Reſp *Habeo tibi gratias de hâc ſolutione.*

DIS-

DISPVTATIO TERTIA DE QVANTITATE diphthongorum.

QVAESTIO.

An omnis diphthongus apud Latinos longa sit? 52

Præfatiuncula.

Quæst. Satis ampla & copiosa proponitur disputandi materia in hoc de primarum syllabarum quantitate, argumento, de quo ego tecum verbosiùs contenderem, si vel temporis ratio, vel huiusce loci consuetudo hoc ipsum pateretur. Sed quia hoc fieri non permittit nec tempùs, nec locus, orationis meæ vela contraham, tecùmque breuiùs de hisce rebus disseram.

Resp. *Quo succinctiùs & strictiùs in hâc quæstione egeris, ego etiam in respondendo ero breuior, ne nimiâ prolixitate grauissimos hosce viros, reliquosq; Auditores humanissimos offendam.*

Quæst. Dic itaque quæ sit quantitas diphthongorum, vt nihil omninò dicam de illarum vel compositionis ratione ex vocalibus, vel etiam numero & multitudine.

Resp. *De Latinis verò, an Græcis diphthongis interrogas? Nosti enim longè diuersam harum rationem esse.*

Quæst. Ego de Latinarum diphthongorum quantitate

quantitate interrogo, vtpote qui Græcarum literarum adhuc valdè sum rudis & ignarus.

Resp. *De Latinis, paucis tibi satisfaciam. Est enim satis nota regula: Omnis diphthongus apud Latinos longa est.*

Obiectio. *Quæst.* Sudibúsque præustis loquitur alicubi Virgilius: vbi manifestè corripit (præ)in dictione præustus.

Solutio. Resp. *Tu nimium properas. Volui & ego hanc exceptionem addidisse, quemadmodum etiam expresse in Grammaticâ habetur, esse nempè omnem diphthongum longam apud Latinos, nisi sequente vocali, vt præire.*

Instantia. *Quæst.* Reperio tamen diphthongum in carmine Latino breuem, sequente eandem non consonâ, sed vocali. Est autem carmen huiusmodi: Verbosâ gaudet venus loquelâ.

Resp. *Quis est author? Si enim non sit ex probatissimorum genere, parùm me mouebit illius authoritas.*

Quæst. Author est omni exceptione maior, Catullus scilicet, estque carminis genus Phaleucium.

Resp. *De carminis genere nihil opus est vt me admoneres. Probè enim est mihi cognita eiusdem ratio & natura.*

Quæst. Si ita tibi sit familiare hoc carminis genus, nôsti secundi pedis syllabam secundam debere semper esse breuem.

Resp.

Resp. *Noui. Recipit enim carmen Phaleucium in secundo loco pedem dactylicum; cuius duæ posteriores syllabæ debent esse breues.*

Quæst. Si hoc nouisti, agnoscas etiam oportet syllabam (gau) in verbo gaudet esse breuem in hoc carmine contra regulam. Est enim diphthongus quàm non sequitur vocalis, sed consonans (*d*)

Resp. *Vsitatissimum est in hoc carminis genere,* Solutio. *vt pro pede dactylico substituatur pes alius alterius generis.*

Quæst. Si ita sit hoc frequens, cur nulla fit huius rei mentio in Grammaticâ nostrâ?

Resp. *Quia non loquitur Grammatica de eo, quod aliquando & rarò, idq; licentiâ fit poëticâ, sed de eo quod fit communiter & regulariter.*

Quæst. Hoc verè respondisti: Sed ego hoc loco nullam admitto pedum siue mutationem, siue substitutionem.

Resp. *Dico igitur hîc esse figuram Scansionis* Alia solutio. *Diæresin, ita vt resoluatur (au) diphthongus in duas* Diæresis. *vocales (a-u) & ex dissyllabo (gaudet) fiat in mensurando trissyllabum* g ā-ŭ-dĕt. *Hoc autem debemus nos pueri potiùs obseruare, quàm imitari.*

DISPV-

DISPVTATIO QVARTA. De ratione cognoscendi primarum *syllabarum* quantitatem.

QVAESTIO

53 *An possit primarum syllabarum quantitas octo modis cognosci?*

Præfatiuncula.

Quæst. Quod alij in hâc de primarum syllabarum quantitate, disputatione arctiùs & strictiùs fecere (viri ornatissimi) ita vt sibi quisque quasi certum & peculiarem disputandi campum selegerit, dabitis mihi profectò veniam, si ego paulò liberius prosecutùs fuero, quo tandem aliquando discussis tenebris, dubitationúmque quasi inuolucris explicata veritas, appareat multo quàm ante dilucidior in octo hisce primarum syllabarum cognoscendarum modis. Hoc itaque velim mihi ante omnia expedias. num possit omnium primarum syllabarum quantitas octo modis cognosci.

Resp. *Potest profectò primarum syllabarum quantitas vnâ aliquâ, vel pluribus fortasse horum modorum rationibus cognosci. Non quòd vniuscuiusque dictionis primæ syllabæ quantitas omnibus hisce modis cognosci possit. Ita verò hanc regulam interpretor*

interpretor, vt tibi & omnibus tui similibus Sophistis & cauillatoribus omnis præscindatur calumniandi & nugandi ansa & occasio, in ipso disputationis limine.

Quæst. Ego ago candidè & apertè, ac proinde velim vt tu mihi hoc candide & apertè expedias, vtro horum octo modorum scire possim, quanta sit prima syllaba in hâc dictione (fluuiùs)? Obiectio. Fluuius.

Resp. *Brevis est, id quod pluribus allatis exemplis, si ita esset necesse, probari posset.*

Quæst. Ego tamen ex Virgilio ostendam primam huius dictionis syllabam esse longam. Orditur enim ille in Georgicorum (ni fallor) libro primo carmen ab hâc dictione, hoc modo: Fluuiorum rex Eridanus. & quæ sequuntur. Est enim hoc carmen notissimum. Fluuiorum rex Eridanus. campóſque per omnes.

Resp. *Quid si respondeam, fieri elisionem vocalium (i) & (o) in mensuratione huius carminis, hoc modo: Fluuiorum rex Eridanus, & ita deinceps.*

Quæst. Parùm tu quidem hâc ratione iuuaberis. Erit namque (flu) in fluuiorum nihilominùs longa. Est enim pes Spondæus, qui constat ex duabus longis syllabis.

Resp. *Imò ego contendo pedem esse Iambicum, cuius prima syllaba est brevis, secunda verò longa.*

Quæst. Estne secunda syllaba in dictione

(fluuiorum) longa, cùm præcedat aliam vocalem (o) in eâdem dictione.

Resp. *Ego loquor de secundâ syllabâ iuxta meam huius carminis scandendi rationem per Synalœpham, vbi elisa (i) secundâ syllabâ, erit (vo) vt fluuorum non fluuiorum.*

Quæst. Vbi tu vnquam apud probatum aliquem authorem legisti huiusmodi elisionem in hoc vocabulo? Vt non dicam te non posse ostendere pedem Iambum vnquam poni in carmine Heroico pro pede Spondæo.

Pedis pro pede positio frequens in carmine.

Resp. *Est tamen frequens apud poëtas pedum transmutatio, vel (si manis) substitutio, vt pes vnus pro altero subinde ponatur, siue substituatur.*

Quæst. Concedo hoc quidem in alijs carminum generibus, quod non facilè admiserim in carmine Hexametro.

Vera solutio.

Resp. *Erit igitur pes Anapæstus. Dactylus enim vt scis, non patitur syllabarum quantitatem.*

Quæst. Hoc si esset vsitatum, faciliùs admitti & tolerari posset, quod ob rei raritatem mihi videtur valdè esse durum.

Resp. *Imò eo ceasendum est tolerabilius, quo rarius, iuxta tritum illud: Atque opere in magno fas est obrepere somnum.*

Quæst. In hâc tuâ responsione faciliùs acquiesco, quia mihi videtur quodam in loco Horatius, Anapæsto etiam in carmine Heroico fuisse

illę vſus pro Spondæo vel dactylo (qui huic carminis generi ſunt peculiares) vbi ſic ſcriptum reperio: Vehemens & liquidus puróque ſimillimus amni.

Reſp. *Sed quid ſi in illo carmine Virgiliano dicam pro (fluuiorum) menſurandum eſſe (fluiorum), eliſa (u) præcedente, factáque ex quadriſyllabâ dictione fluuiorum, triſſyllaba fluiorum, producta prima ſyllaba (flu) per poſitionem, quia (i) inter duas vocales (u & o) in dictione (fluiorum), eſt duplex conſonans?*

Quæſt. Eſt hæc ſcandendi ratio valdè (vt mihi videtur) abſona, nimiſque longè petita, nullóque (quod meminí) ſimili menſurandi exemplo vnquam ex aliquo probato authore confirmanda. Ego itaq; illorum calculo potiùs ſubſcribo, qui hoc carmen & ſimilia dicunt acephalon, in quo ponatur Anapæſtus pes pro Dactylo, vel Spondæo, ſicut eſt ante à me dictum. Camen acephalon.

Reſp. *Ego etiam nolo acriùs cum quoquam de hâc re litigare: Sed liberum cuique relinquam ſuum iudicium.*

Quæſt. Sed cum iam incidimus in mentionem tranſmutationis ſiue ſubſtitutionis pedum (ſi ita loqui liceat) in carmine, quid ais ad hoc carmen Virgilianum ex Ecloga tertia: Tytere paſcentes à flumine reijce capellas.

Reſp. *Eſt hîc in quinto loco pes Procelevſmaticus, conſtans ex quatuor brevibus ſyllabis, quo pe-* Pes procelevſmaticus.

de vtitur hîc author aliàs ſæpiuſculè. Solet autem

Quære plura exempla in indice.

menſurari hoc carmen per reiectionem alterius (i) in verbo reiçe, ita vt ex dictione triſſyllabâ fiat ſcandendo diſſyllaba, hoc modò: Tytere paſcentes â flumine reiçe capellas. Eſt enim præpoſitio (re) in compoſitione breuis.

Obiectio. *Quæſt.* Videtur tamen in hoc verbo producenda poſitione, quia tradunt (i) eſſe duplicem conſonantem, cum ponatur inter duas vocales.

Solutio. Reſp. *Hoc tamen eſt tenendum, non valere hanc regulam in compoſitis, vt biugus, quadrijugus, & reliquis huiuſmodi, vt neque in hoc verbo reiçio.*

Quæſt. Hoc itaque dicis, eſſe (re) ſemper correptum in compoſitione.

Reſp. *Sic dico, nec te puto poſſe alicubi contrarium oſtendere.*

Obiectio. *Quæſt.* An non legiſti (re) in refero aliquoties productam?

Solutio. Reſp. *Fieri hoc fortaſſe poteſt aliquando per Epentheſin, vt ſi carminis gratia ſcribatur (reffero), pro (refero). Sic namque fieri ſolet & in alijs vocibus nonnunquàm: vt relligio, relliquiæ, & in ſimilibus.*

Inſtantia. *Quæſt.* Imò non fit hoc ſolùm in geminatione literæ (f) per Epentheſin, ſed & aliàs ſæpe in dictione refero, cum per vnicam (f) ſcribatur tantummodò, quod paſſim occurrit in lectione poëtarum probatiſſimorum, licèt mihi iam non

non veniat in mentem tale aliquod exemplum.

Resp. *Venit mihi tamen in mentem quid hic respondeam, idque vt opinor, commodè ad satisfaciendum huic obiectioni, in hunc modum. Verbum refero quoties capitur pro loquor siue dico, corripit primam syllabam, vt a præpositione re compositum. Cùm autem capitur pro interest, quod & sæpè etiam euenit, tunc producit syllabam re, vt a nomine substantiuo res, non autem a præpositione re deductum, deriuatum, seu compositum. Sed hic finis esto disputandi de primarum syllabarum cognoscendarum ratione. Vltimus iam locus dabitur de vltimarum syllabarum quantitate disputaturis, vt ita tandem finis huic labori imponatur.*

Solutio.

Refero pro dico.

Refero pro interest.

Tradunt alij fuisse (re) commune apud veteres.

DISPVTATIONES DE REGVlis vltimarum syllabarum.

Quæstio prima.

An vera sit prima regula de quantitate vltimarum syllabarum? hoc est, An a finita producantur? 54

Quæst. Cum reliquos commilitones nostros & condiscipulos charissimos, qui hactenùs disputârunt, omnes (Auditores optimi) magno cum silentio, maioréque tum aurium, tum animorum attentione audiueritis, si nos itidem

Præfatiuncula.

itidem, quibus poſtremæ diſputandi partes demandatæ ſunt eâdem patientiâ & fauore digladiantes, & de vltimarum ſyllabarum quantitate concertantes benignè tolleretis, erit quod & meritò gaudeamus, & vt plurimum vobis omnibus nos eſſe deuinctos fateamur. Sed ne videamur de veſtrâ erga nos beneuolentiâ dubitare, dum nimis ſcrupulosè & anxiè eandem nobis conciliare laboremus, omiſſo, longiore verborum ambitu, quæſtionem propoſitam paucis aggrediemur. Vbi primùm a te peto (ſocie ſuauiſſime) quoniam omnis noſtra iam deinceps diſputatio de vltimarum ſyllabarum quantitate futura ſit, cur in omnibus de vltimarum ſyllabarum quantitate traditis regulis, nulla fit omninò mentio de dictionibus quæ in diphthongum terminantur?

Reſp. *Non erat hoc neceſſe, quia cum ageretur de primarum ſyllabarum quantitate, dictum eſt, omnem diphthongum apud Latinos longam eſſe.*

Quæſt. Non eſt hæc ſatis idonea ratio, cur hîc non fieret diphthongorum finalium quantitatis mentio, niſi forte dicas eandem eſſe quantitatem primarum & vltimarum ſyllabarũ. Non enim puto te negaturum omnem diphthongum finalem ſemper debere eſſe longam.

Obiectio.

Reſp. *Omnis diphthongus finalis eſt ſemper naturâ longa.*

Quæſt. Multis ego exemplis hoc falſum eſ-

ſe

se possum ostendere, contentus tamen ero hoc vnico Virgilij carmine: Insulæ Ionio in magno quas dira Celæno: vbi (læ) in dictione insulæ corripitur, tametsi desinat in diphthongo.

Resp. *Non corripitur, sed eliditur per Synalœphen. Sic enim mensuro: Insul' Ioni in magno, quas dira Celæno.*

Quæst. Dum vitant stulti vitia in contraria currunt. Incidis enim in Scyllam, dum vis vitare Charybdim. Quanta enim est (su) syllaba in hâc dictione insulæ? Instantia.

Resp. *Scio secundam syllabam in hâc dictione esse plerunque breuem. Sed quid si dixero hoc loco produci per Ectasin?*

Quæst. Hoc dices, quod & à veritate abhorret, & contrarium sit doctissimorum omnium sententijs.

Resp. *Est igitur Synalœpha prætermissa & more Græcorum corripitur diphthongus ante vocalem sequentem, iuxta regulam: Omnis diphthongus apud Latinos longa est, nisi sequente vocali, vt præire.* Solutio.

Quæst. Traditur illa regula de primis, & non de vltimis syllabis. Instantia.

Resp. *Respondeo tamen vt priùs: nempè solere Græcos poëtas Synalœpham quàm sæpissimè prætermittere, & tunc vocalem vel diphthongum præcedentem, & regulariter elidendam facere communem, hoc est, aliquando breuem, aliquando verò* Solutio.

longam pro arbitrio. Atque hunc morem nonnunquam, licèt rarius, ſequuntur poëtæ Latini, vt Virgilius hoc loco & nonnullis alijs.

Quæſt. Bene reſpondiſti. Venio itaq; nunc demum ad primam quæſtionem, vbi quæro quanta ſint *a* finita?

Reſp. *Non poſſum melius reſpondere, quàm ipſis regulæ verbis. A finita producuntur.*

Quæſt. Excipis, opinor, per illam regulam excipienda.

Reſp. *Quid ni? Non opus erat te hoc interrogare, vtpote per ſeſe ſatis manifeſtum.*

Obiectio. *Quæſt.* Græcorum ergo vocatiui ſingulares in *a* a nominatiuis primæ declinationis in *as*, cuius ſunt quantitatis?

Reſp. *Omnes vocatiui primæ declinationis Græcorum in a longi ſunt.*

Hyla. *Quæſt.* Hyla itaq; a nominatiuo Hylas, quanta erit?

Reſp. *Longa. Sic enim exigit ipſius regulæ veritas.*

Quæſt. Virgilius tamen eandem corripit in hoc carmine: Clamaſſent vt littus Hyla, Hyla omne ſonaret.

Ecloga 6.

Reſp. *Nonne vides in priore (Hyla), produci (la), iuxta regulam.*

Inſtantia. *Quæſt.* Nonne vides in poſteriore (Hyla), corripi (la) contra regulam? Omittitur enim Synalœpha

nalœpha in vtroq; (Hyla), tam priore, quam posteriore.

Resp. *Producitur itaque, & corripitur (la) & proinde erit communis.*

Quæst. Non hoc sequitur. Nam quod priore loco producatur, affirmo hoc fieri iuxta regulam: quod verò posteriore loco corripiatur, illud contra regulam euenire contendo.

Resp. *Dicam quid mihi videatur tam de Synalœphâ prætermissâ, quàm de productione & correptione vnius, & eiusdem vocalis in vtroque loco.* Vera solutio.

Contendunt eruditi notam aspirationis H *aliquando naturam & rationem habere consonantis, vt in posteriore (Hyla) in hoc carmine, ac proinde omitti Synalœpham in priore (Hyla), producíque vltimam (la) secundum regulam.* Litera H aliquando consonans.

In posteriore verò Hyla est etiam elisio prætermissa, sed licentia poëtis concessa, & iuxta eandem libertatem corripitur (la) in posteriore (Hyla) acsi esset vocalis ante vocalem in eâdem dictione, quæ regulariter corripi debeat. Elisio prætermissa.

Atque huius posterioris licentiæ aliud est omninò simile exemplum in tertiâ Eclogâ, apud eundem poëtam, vbi sic scribit: Et longum formose vale, vale, inquit Iola.

DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA DE quantitate vocabulorum *in* o *finitorum.*

Quæstio secunda.

55 *An communes sint omnes dictiones in* o, *quibusdam exceptis* ?

Præfatiuncula.

Quæst. Nec temporis ratio, nec loci huius consuetudo (viri grauissimi) patitur, vt ego multa in hâc quæstione proponam. A vobis igitur quàm possum, peto humiliter, vt breuitati meæ clementer ignoscatis. Mallem enim breuitatis, quàm prolixitatis apud vos culpam deprecari. In hâc itaque de vltimarum syllabarum quantitate, tractatione, velim vt mihi respondeas, quantæ sint dictiones in (o) finitæ ?

Resp. *(O) finita communia sunt. Excipiuntur tamen quædam in* (o), *quæ semper producuntur.*

Quæst. Inter illas exceptiones habetur & hæc, videlicet, dò, stò, & similia monosyllaba in (o) esse longa. Quæro igitur quanta sit (o) aduerbium vocandi ?

Resp. *Aduerbium vocandi* (o) *producitur.*

Obiectio. O, correptum.

Quæst. Ego tamen ex Virgilio ostendam vbi corripiatur. Hoc enim eius est carmen in secundo (ni fallor) Bucolicorum: Te Corydon,

o Alexi: trahit sua quemque voluptas. Hoc carmen, si rectè mensures, necesse est, vt corripias (*o*) contra regulam.

Resp. *Non est omninò necesse, vt ita fiat, præ-* Solutio.
sertim si elidatur (o) *ante* (a) *in Alexi per Synalœpham.*

Quæst. Sed fieri non potest huiusmodi eli- Instantia.
sio, tum quòd generalissima sit hæc regula (quod te non latet) heu, & ô nunquam intercipiuntur: tum quod, si elideretur, (*a*) in Alexi produceretur, quod naturâ corripitur.

Resp. *In tempore reuocâsti mihi in memoriam* Solutio.
hanc regulam, quæ aptissimam præbet tuæ obiectioni responsionem. Nam si fiat nullo hoc loco elisio: propter omissam elisionem corripitur (o). *Nam vocalis ante vocalem in Latinis dictionibus vbique breuis est.*

Quæst. In diuersis quæso dictionibus, an ve- Instantia.
rò potiùs in eâdem?

Resp. *In eâdem dictione semper, regulariter:* Solutio.
in diuersis verò rarius, sed tamen aliquando.

Quæst. Nullius est momenti hæc ratio: de- Instantia.
bere nempè (*o*) hoc loco corripi ob Synalœphâ prætermissam. Hoc enim pacto esset semper corripiendum ante vocalem, quia nunquam potest per Synalœpham elidi. Sed constat ex infinitis locis tam Virgilij, quàm aliorum poëtarum, ô, sequente vocali in initio alterius dictionis semper produci. Quærenda itaque est alia ratio, O, semper producitur.

ratio, quâ melius huic obiectioni ſatisfacias: vel vt ſaltem concedas mihi huius certaminis palmam.

Reſp. *Bona verba quæſo. Nititur profectò hæc ratio, vt vt tuo palato minùs arrideat, authoritate magnorum Grammaticorum. Seruij videlicet, & Probi.*

Seruius. Probus.

Quæſt. Pace tamen tantorum virorum, firmior & verior videtur aliorum ſententia, qui multis allatis exemplis probant *o* ante vocalem in alijs dictionibus produci. Sic aliâs apud Virgilium: ô vbi campi. Apud Ouidium in Epiſtolis: ô vtinam tunc cum, &c. Et libro ſecundo Metamorph. ô ego quantum egi, &c. Propertius item: Egerat à ſtabulis ô Erythea tuis.

Virgilius. Ouidius. Propertius.

Reſp. *Tametſi ego is non ſim, qui Seruij, & Probi authoritatem facilè reijciam: quia tamen tam multis exemplis ex tam claris authoribus depromptis, contrarium huic, quod illi docent, oſtendis, ego etiam illorum authoritate non nitar, ſed aliter reſpondeo, nempe o in hoc Virgilij carmine corripi more Græcorum.*

Alia ſolutio.

Quæſt. Quem habent illi tandem morem in vocabulis naturâ longis, tam audactèr & licentioſè corripiendis?

Reſp. *Magna eſt Latinorum Poetarum noſtrorum licentia, Græcorum tamen longè maior, vt ex præceptoribus meis audiui. Hi enim vocales longas, ante alias vocales faciunt communes, hoc eſt, aliquando*

Licentia poëtarum præſertim Græcorum.

quando longas, aliquando breues.

Quæst. Ego Græcus non sum: memini tamen me hoc aliquando à doctis audire, quorum iudicio libens subscribo.

DISPVTATIO ALTERA DE dictionibus in *a* finitis.

Quæstio tertia.

An nominatiui, accusatiui, & vocatiui in a breues sint? 56

Præfatiuncula.

Quæst. Ne cui vestrum sit mirum (Auditores humanissimi) cur ego post agitatam de vocum in *a* finitarum quãtitate quæstionem, idem argumentum tractandum denuò in me suscipiam. Nam & alia est omninò quæstio, & alia prorsùs ratione tractanda. Non enim iam agetur de vocatiui terminatione à nominatiuis primæ declinationis in *as*, quæ longa esse solet sed de quantitate nominatiuorum, accusatiuorum & vocatiuorum in *a* quos docet Grammatica semper debere esse breues. Num tu igitur putas hanc quoque regulam semper esse veram?

Resp. *Ostende tu, si potes, vbi fallat hæc regula.*

Obiectio.

Quæst. Virgilius omnium Latinorum poëtarum

tarum facilè princeps produxit (a) in (tela) cõtrà huius regulæ veritatem in hoc carmine: Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.

Solutio. Resp. (*La*), *in* (*tela*), *in hoc carmine producitur percæsuram.*

Instantia. *Quæst.* Quid est Cæsura? Nonne est extensio syllabæ naturâ correptæ post pedem absolutum?

Resp. *Quis sanæ mentis negare tibi hoc vnquam velit?*

Quæst. Sed hîc non extenditur syllaba in fine dictionis post pedem absolutum, sed in ipso pede absoluto. Non potes igitur excusare Virgilij erratum per cæsuram.

Vera solutio. Resp. *Aliter itaque respondeo, & dico* (a) *in* (*tela*) *produci positione, quia præcedit dictionem à duabus consonantibus inchoantem, de quo positionis genere habetur regula in Gammaticâ.*

Instantia. *Quæst.* Hoc fieri non potest, quia præcedens dictio desinit in vocali, cùm desinere deberet in consonante.

Resp. *Docet tamen regula Crammaticalis, aliquando, sed rariùs, vocalem brevem ante duas consonantes in principio dictionis sequentis produci, ad imitationem Græcorum, apud quos hoc longè frequentiùs est & vsitatiùs.*

Quæst. Profer in medium vnum atque alterum huius positionis exemplum, quo res tota fiat planior & dilucidior in iuniorum gratiam.

Resp.

Resp. *Hoc non grauatim faciam. Tale namque est in primis hoc exemplum, nuper allatum, in quo (la)in(tela) producitur positione ante dictionem (cãdite), à duabus consonantibus (ſ & c) incipientem.* Exprimo libro Georgicorum. *Huic adde hæc similia ex eodem Virgilio: Lappeq; tribulique: interque nitentia culta. Ibidem: Tribuláque, trabeaque & iniquo pondere raſtri. Atq; iterum in eodem libro: Æſtúſq; pluuiáſq; & agentes frigora ventos. Plura exempla ſi quis velit, legat indicem in calce huius libelli appenſum.*

Quæſt. Iam quia de productione vocalis per poſitionem facta eſt mentio, libet pauliſper digredi, paucáque obijcere ad hanc ipſam ſpectantia, ſcitu non iniucunda, ſi tibi non fuerit moleſtum ad eadem reſpondere.

Reſp. *Nihil ego faciam libentiùs & promptiùs, dummodò poſſim hoc eodem labore & operâ rem gratam facere ſtudioſis adoleſcentulis.*

Quæſt. Hoc tamen priùs reſponde, num ſcilicet liceat nobis hoc pacto vocales breues in carminibus faciendis producere?

Reſp. *Sunt hæc concedenda ſummis poëtis, Græcos, apud quos hoc eſt frequentiſſimum, in hâcre imitantibus, ſed non ſunt hæc nobis pueris ſequenda, ſed notanda potiús. Iam verò perge, quo cœpiſti.*

Quæſt. Quid ſtatuendum eſſe cenſes de illâ regulâ, quæ traditur de vocali breui ante mutam ſequente liquidâ?

Reſp. *Huiuſmodi vocalem fieri hac ratione communem,*

communem, hoc est, aliquando longam, aliquando verò breuem.

Quæst. Sed quot sunt consonantes liquidæ?

Resp. *Sunt quatuor:* L, m, n, r.

Quæst. Faciuntne hæ quatuor liquidæ vocalem breuem præcedentem cum mutâ, indifferenter communem?

Nota. Martialis. Delectat Marium, si pernicioſus ichneumon.

Resp. L & r, *cum mutâ præcedente, sæpissimè faciunt vocalem breuem immediatè antecedentem, communem.* M *verò, &* n, *rarissimè, idque vel in Græcis dictionibus, vt Cygnus, Termessa, Progne & similibus, vel ad imitationem Græcorum.*

Quæst. Relicta itaque rariora hâc liquefactione (si ita loqui liceat) veniamus ad illam, quam frequentiorem esse affirmâsti, vbi *l* & *r*, cum muta præcedentem, efficiunt vocalem breuem antecedentem, communem: Putásne hanc regulam adeò esse generalem, vt vbicunque occurrat vocalis breuis ante *l* vel *r*, cum mutâ præcedente, ibi nobis liceat eandem tutò vel corripere vel producere?

Resp. *Sic mea quidem fert sententia, cum ita manifestè exprimatur in regulâ nostrâ Grammaticali.*

Quæst. Possum ego tibi voces ferè infinitas proferre, in quibus vocalis breuis ante mutam cum liquidâ *l* vel *r*, nunquam tamen corripiatur

Resp. *Ostende nobis vel pauca, si potes huiusmodi.*

Quæst.

Quæſt. Talia ſunt obrodo, obrogo, obroſus, obruo, obrutus, obrepo, obrado, abligo, obligo, obrumpo, abrumpo, & omnia denique compoſita à præpoſitionibus (ab), vel (ob), quotieſcunque habent liquidam ſequentem. Obiectio.

Reſp. *Hæc ſunt compoſita, ego verò puto illam regulam de ſimplicibus dictionibus eſſe intelligendam.* Solutio.

Quæſt. Modò tamen affirmabas generalem fuiſſe hanc regulam. Video te valdè eſſe inſtabilem & inconſtantem. Sed ego te adiuuabo, præſertim cum nihil hîc tradatur in Grammaticâ noſtrâ. Docent itaque reuera alij, primò intelligendam eſſe illam regulam de mutis cùm liquidis (l), vel (r), rarò autem (m), vel (n). Secundò non ſolùm debere intelligi contendunt de ſimplicibus dictionibus, ſed etiam talibus compoſitis, quarum mutæ cum liquidis pertineant ad eandem ſyllabam cum in compoſitis ab his præpoſitionibus (ab) & (ob), pertineant ſemper ad diuerſas. Sed eſt iam tandem hiſce rebus ſuperſedendum, vt & alij qui adhuc ſuperſunt, diſputate quoque queant. Obſeruatiuncula notatu digna.

DISPVTATIO QVARTA DE quantitate dictionum in (t) *finitarum.*

Quæstio quarta.

57 *An breuia sint quæ in (t) desinant?*

Præfatiuncula.

QVæst. Tacerem ego hoc tempore longè libentiùs quàm loquerer (viri ornatissimi) si mihi hoc esset liberum & integrum. Sed non sinit hoc loci huius consuetudo, non sinit præceptor, non sinit denique celeberrimus hic virorum doctissimorum concursus. Non immemor igitur officij, ita dicam ne & alijs dicendo locum præripiam, hoc est, paucis & breuiter in hâc quæstione disputabo de vocabulis in (t) desinentibus, quæ breuia sunt semper, si fides sit habenda scilicet huic regulæ, quæ in nostrâ Grammaticâ hâc de re habetur.

Resp. *Cur non haberetur fides huic regulæ, præsertim cum conueniat cum aliorum Grammaticorum regulis de huiusmodi vocabulorum quantitate?*

Quæst. Quia authoritas probatissimorum Scriptorum, quæ omnibus regulis certior est, huic regulæ quam maximè repugnet, nec te puto affirmaturum hanc regulam tam esse generalem

sem, vt nullam admittat omninò exceptionem.

Resp. *Cum nulla reperiatur in nostrâ Grammaticâ exceptio ab hâc regulâ, videamus quàm tu dextrè possis illius authoritatem infringere.*

Quæst. Imò ego hoc ita mox effectum dabo, vt hâc ipsâ luce manifestiùs appareat, vel te ipso iudice. Quanta enim est (t) in his & alijs pene innumeris, amant, docent, legunt, audiunt? Obiectio.

Resp. *Hæc producuntur & similia positione quia habent aliam consonantem, ipsum (t) præcedentem.* Solutio.

Quæst. Vides igitur necessario adhibendam esse hîc exceptionem huiusmodi, scilicet in (t) desinentia (si positio sinat) breuia esse. Sed sunt & alia excipienda, vel falsa omninò erit hæc regula. Exceptio.

Resp. *Ego non video quam aliam exceptionem admittat hæc regula.*

Quæst. Aperi oculos, vt clariùs aliquando videas, & vel ad hoc saltem mihi respondè, quanta sit coniunctio (aut)? Obiectio

Resp. *Longa est, quia habet præcedentem diphthongum.* Solutio.

Quæst. Quid hoc ad propositum, cum satis constet desinere in (t)? Est & hîc igitur opus alia exceptione. Sed pergamus. (T) in obit, & abit, pro obijt, vel obiuit, abijt, vel abiuit, & in similibus, quanta (quæso) est? Obiectio.

Solutio. Resp. *Quid ni esset breue iuxta regulam?*

Instantia. *Quæst.* Imò sanè in his & similibus semper est longum, quod vel ex hoc vno Iuuenalis loco satis liquet: Magnus ciuis obit, & formidatus Othoni.

Iuuenalis.

Solutio. Resp. *Fieri hoc potest per cæsuram, per quam syllaba breuis in fine dictionis post pedem absolutum extenditur.*

Instantia. *Quæst.* Sed quid fiet in his contractionibus præteritorum in(t), in quas cæsura cadere non potest, cum scilicet producatur (t) finalis, quando non sit syllaba post pedem absolutum?

Solutio. Resp. *Hoc fit (quemadmodum docet Despauterius) ratione contractionis, (exempli gratia), cum dicatur obit pro obiuit, contrahuntur duæ posteriores syllabæ in vnam, ac proinde (t) in (abit) producitur quia omnis contractio longa est.*

Despauterius.

Obiectio. *Quæst.* Sit ita vti docet Despauterius. Multa tamen exempla proferri possunt, vbi (t) extra contractionem producatur.

Solutio. Resp. *Quoties hoc contingit, intelligendum est fieri per cæsuram, meâ quidem sententiâ.*

Quæst. Fateor si modò hoc fiat in syllabâ finali post pedem absolutum. Sed quid fiet si alias producitur (t) extra hanc exceptionem?

Resp. *Arbitror te non posse proferre huiusmodi exemplum, vel saltem non plura.*

Obiectio. *Quæst.* Vide ergo quid respondeas ad hæc Ennij carmina, vt omittam alia, quæ apud antiquos

tiquos reperiuntur. Omnis cura viris vter esset induperator. Et iterum: It eques,& plausu caua concutit vngula terram.

Resp. *Martianus (testante Despauterio) dicit in(t)desinentia esse communia: rectiùs tamen alij Grammatici censent esse corripienda.* Eiusdem est sententiæ Gifanius.

Quæst. Sed quid tandem respondes ad Ennij carmina?

Resp. *Ennius & alij vetustiores aliquando producebant(t)finale. Nobis verò non licet illos hac in re imitari. Sed iam prodeant alij in arenam disputaturi.*

DISPVTATIO QVINTA DE quantitate obliquorum in (is).

Quæstio quinta.

An longi sint obliqui plurales in is. 58

Quæst. Solennes ego hasce & anniuersarias Scholæ nostræ disputationes (Auditores humanissimi) de rebus Grammaticalibus, nec possum, nec debeo iure reprehendere. Illud mihi magis lugendum & dolendum esse censeo, quòd cùm celebris hæc virorum doctissimorum & ornatissimorum frequentia magnum nescio quid expectare videatur, nos verò per ætatem puerilem, ingeniorúmque tenuitatem, Præfatiuncula.

exilè quiddam & tenuè tantùm præstare possumus. Prompta quidem nobis est voluntas vobis placendi in hoc exercitij genere, quod si minus nos efficere sinat facultas, vt possumus (iuxta illud Comici) quando vt volumus non licet: Est aliquod prodire tenus, si non datur vltra. Sed vt ad rem redeam, & in propositâ quæstione disputem, non mihi videtur illa regula esse vera, quæ docet obliquos plurales in (is) produci, vt mulis, mensis, a mensa, dominis, templis.

Obiectio. Resp. *Difficile tibi erit (me iudice) hanc exceptionem falsam esse probare.*

Quæst. Quod tibi difficile esse censetur, mihi probatu erit facilimum. Audi itaque attentiùs, quid ego apud Lucretium libro secundo notauerim. Sunt enim hæc eius in illo libro verba: Est e leuibus, atque rotundis adnixa volare. Huius ego carminis dimensionem abs te libenter audire cupio.

Lucretius. Resp. ēst ē lēuĭbus, ātquĕ rŏtūndĭs ădnīxă vŏlārĕ.

Quæst. Siccine quæso? Præterea quod sic mensurando breuem facis positionem, corripiendo (a) in dictione (adnixa), ante (d) & (n), quod erratum est turpissimum, nonne vides te imprudenter dare illud, quod ego maxime cupiebam.

Instantia. Resp. *Quid tu tibi dari cupias, ego sanè non intelligo. Sed ad scansionem quod attinet, ego sic mensurau*

ſuraui, vti menſurandum eſſe iudicabam.

Quæſt. Si non intelligas quid volebam, cogita tandem paulò diligentiùs, cuius caſus ſit (rotundis) ?

Reſp. (*Rotundis*) *in hoc carmine neceſſe eſt eſſe ablatiuum pluralem.*

Quæſt. At hunc ablatiuum tu modò dum ſcandebas corripuiſti. Manifeſtè ergo in hanc exceptiunculam eſt à te peccatum, vel potiùs ab ipſo Lucretio, ſi malis à te in alium hanc culpam deriuare.

Reſp. *Lucretius in illorum poëtarum numero eſt cenſendus, qui magnam ſibi ipſis in ſcribendo libertatem, ſeu veriùs licentiam permiſerunt.*

Quæſt. Ego non capio quid velis, dum tu hoc dicas.

Reſp. *Hoc volo : non omnia nobis licere, quibus vſi ſunt poëtæ veteres.*

Quæſt. Sed non eſt hoc reſpondere. Dic ergo breuiter, quâ ratione poſſis hanc exceptionem contra tam apertam Lucretij authoritatem defendere.

Reſp. *Dico(is) in(rotundis) eſſe per Ecclyſin elidendam.*

Quæſt. Quid audio ? Eſtne litera(s) elidenda per Eclipſin ? Quid eſt Eclipſis ?

Reſp. *Eſt quoties m cum ſuâ vocali perimitur,* Eclipſis *proximâ dictione à vocali exorſâ.*

Quæst. Vides literam (m) debere elidi per Eclipsin, non autem literam (s).

Litera (s) elidi tur aliquando per Eclipsin.

Resp. *Rectè. Eliditur quidem (m) vsitatè & ordinariè per Eclipsin: extraordinariè verò & inusitatè, hoc est, rarò elidi tur quoque (s) litera per hanc figuram, vt in hoc loco apud hunc poëtam: sæpiùs verò apud Ennium & alios vetustiores.*

Quæst. Non habeo quod iure reprehendam in hâc tuâ responsione, quàm video eruditorum hominum authoritate comprobari.

DISPVTATIO SEXTA DE quantitate vocabulorum in (*os*).

Quæstio sexta.

59 *An producantur regulariter voces in (os)?*

Præfatiuncula.

Quæst. Ne sutor vltra crepidam, trito iactitatum esse prouerbio nôstis (viri eruditissimi) quo mihi significari quidem & doceri videtur, vt quàm quisq; nôrit artem, in eâdem sese exerceat. Adferrimus igitur ad vos Grammatici Grammaticalia, de quibus dum nos inter nosmet mutuò decertamus, si vos aures attentas, animósque benignos attuleritis, & illud præstabitis quod vos decet maximè, nostrísque votis abundè & cumulatim erit satisfactum. Tu verò

verò(aduerſarie)expone clarè quid cenſendum eſſe ſtatuas de hâc quæſtione, de qua nobis eſt hoc tempore diſputandum. Omniáne vocabula in (os) finita, paucis quibuſdam exceptis, putas tu eſſe debere longa?

Reſp. *Meâ ſic eſt ſententiâ, contra quam ſi quid habes in promptu quod obijcias, illud velim vt audacter in medium proferas.*

Quæſt. Scire abs te libenter velim, an putes dictionē(cuſtos),(cuſtodis), eſſe in illorum numero, quæ ab hâc regulâ excipiuntur, hoc eſt, num ſentias (*os*) in hoc vocabulo (cuſtos), eſſe longam? Cuſtos.

Reſp. *Eſt meritò longa cenſenda, nec video quâ ratione poſſit corripi.*

Quæſt. Corripuit tamen Buchananus, poëta Scotus, inter recentiores ætatis noſtræ poëtas nulli ferè ſecundus, in hoc carmine quod inter Epigrammata ſua(ſi probè memini) reperitur:

Hunc Ranſortè tuo cineri Buchananus honorem
Dat meritum, duro cuſtos in exilio.

Reſp. *Fit hoc vel per figuram Syſtolen, quæ ſolet contrahere ſyllabam ſuâ naturâ longam, vel vitium erat Typographi, ſcribentis cuſtos, pro caſtus, quod ego relinquam iudicio & cenſuræ doctiorum.* Syſtole.

Quæſt. Ego tamen (licet ſatis ſit probabilis hæc tua coniectura) te non ita relinquam. Reperio namque apud Virgilium in Bucolicis(os)

in

in vocabulo(nodos) ſimili ratione correptum, cuius carmen eſt huiuſmodi:

Necte Amarilli nodos, &, veneri, dic, vincula necto.

Solutio. Reſp. *Reſpondeo corruptè hic ſcribi (nodos), pro (modos).*

Quæſt. Non eſt profectò negandum ita ſcribi in quibuſdam impreſſionibus. Meliora tamen & correctiora (addo etiam) vetuſtiora exemplaria, in quibus & illud eſt quod Pariſijs edidit Robertus Stephanus, Typographorum doctiſſimus, in decimo ſexto, anno 1549. habent ita ſcriptum, quemadmodum ego ſuperiùs citaui, quæ lectio verior quoque videtur, & magis accedere ad mentem & ſenſum poëtæ in hoc loco.

Solutio. Reſp. *Si tam obſtinatè contendas ita eſſe legendum, dico literam (s) cum vocali ſequente eſſe in hoc carmine elidendam in vocabulo (nodos), quemadmodum & in alio Virgilij loco eliditur iuxta dictiorum ſententiam in dictione viros, vbi ſcribitur: Inter ſe coijſſe viros, & decernere ſaxis.*

Alia ſolutio. *Quæſt.* Tolerari fortaſſis vtcunque poſſit hæc ſolutio: mihi tamen magis arridet illa, quæ ab alijs affertur, nempè eſſe hîc pedem Anapæſtum, vt ſit verſus Anapæſticus, trimeter, Hypercatalecticus, quem volunt Veneri eſſe conſecratum.

DISPVTA-

DISPVTATIO DE QVANTITATE dictionum in (*us*).

Quæstio septima.

An breuia sint, quæ terminantur in us ? 60

Vast. Nolite (quæso) mirari (Auditores optimi) quòd ego loco & ordine penè infimo, ætate paruus, staturâ minimus, doctrinâ & eruditione nullus, asto iam coram omnibus, pro consuetudine huius loci: & temporis, deq; præceptoris charissimi mandato & imperio, de quantitate vocabulorum in (*us*) terminantium, decertaturus licet non strenuè, animosè saltem, aduersus hunc, quem cernitis ad respondendum viribus & robore instructissimum. Non licet enim, nec possum, onus impositum detrectare, quod, si vtcunque pro expectatione vestrâ sustinuero, nihil est, quod mihi poterit gratiùs vnquam accidere. Bono igitur (quod aiunt) omine, boníque auibus succedat, quod est mihi hodierno die præstandum. Hæc hactenùs, rudi quasi Mineruâ præfatus, te tandem sic aggredior penultimus, in regulâ de quantitate syllabarum vltimarum penultimâ, in (*us*) exeuntium, quam ego multis modis falsam esse probabo. Præfatiuncula.

Resp. *Verbis in quidem multa satis magnificè tibi*

tibi de te ipſo polliceris, re autem ipſâ, parum ſtrenuè, quod in te ſuſcepiſti oneris, vti ſpero, ſuſtinebis.

Quæſt. Relinquatur hoc omne Auditorum grauiſſimo & doctiſſimo iudicio. Tu verò interea reſponde de quantitate illorum vocabulorum, quæ in (*us*) terminantur.

Reſp. *Breuia ſunt, ſi modò non excipiantur, in quorum numero ſunt omnes voces quartæ inflexionis in* (us) *præter nominatiuum & vocatiuum, ſingulares, cum datiuo & ablatiuo pluralibus.*

Quæſt. Si rectè concipio verborum tuorum ſenſum, hoc dicis: Omnes voces quartæ inflexionis in (*us*) eſſe longas, præter nominatiuum & vocatiuum ſingulares, & datiuum & ablatiuum plurales.

Reſp. *Rectè ſanè percepiſti mentem meam.*

Quæſt. Sed cur addis datiuum & ablatiuum plurales in (*us*) quartæ inflexionis, cum Grammatica noſtra mentionem faciat ſolummodò nominatiui & vocatiui ſingularis, quos caſus docet eſſe breuis?

De datiuo & ablatiuo plurali 4. inflexionis in (bus).

Reſp. *Hâc in re eſt corrigenda & emendanda Grammatica Regia. Conſtat enim certiſſimè datiuum & ablatiuum plurales quartæ inflexionis in* (us) *æque eſſe breues, ac nominatiui & vocatiuum ſingulares eiuſdem terminationis in eâdem declinatione.*

Quæſt.

Quæſt. Tibi ego hîc aſſentior. Sed ad illud iam reuertamur, quod paulò ante dixeras. Ego ex Virgilij authoritate probabo accuſatiuum pluralem quartæ inflexionis in (*us*) eſſe breuem. Nam ſic ſcribit: Aut ouium fœtus, aut vrentes culta capellas. Obiectio. Geor. 2.

Reſp. *Quid hic quæris, quo poſſit huius exceptionis veritas & certitudo conuelli?*

Quæſt. (Fœtus), hoc loco eſt accuſatiuus pluralis quartæ inflexionis in (*us*), & menſurando corripitur: ergo non vera eſt illa exceptio.

Reſp. *Cuius contrariam verum eſt. Manifeſtè enim producitur* (us) *in* (*fœtus*) *in hoc carmine.*

Quæſt. Non potes menſurando producere, quin te des turpiter, & grauiùs pecces in alias regulas Grammaticales.

Reſp. *Non eſt hoc omnino neceſſe. Sic enim ſcando.*

Aūt ouiūm fōetūs, aūt ūrēntēs cūltă căpēllās.

Quæſt. Rectè ſcilicet. Vnde quæſo tibi tantum frontis, vt in eodem carmine & producas & corripias vnam & eandē dictionem, videlicet coniunctionem (aut) quæ, cum per diphthongum ſcibatur, neceſſe eſt vt ſemper producatur? Peccas etiam præterea corripiendo (*u*) in participio (vrentes), quæ ſemper eſt naturâ longa. Vitia ſuperioris ſcanſionis.

Reſp. *Corripiam igitur* (us) *in* (*fœtus*) *per figuram*

ram Syſtolen, quæ eſt correptio ſyllabæ naturâ productæ.

Quæſt. Sic grauiùs peccabis corripiendo etiam diphthongum in primâ ſyllabâ dictionis (fœtus).

Verior ſolutio.

Reſp. *Quid igitur ſi dixero, debere eſſe vocum tranſpoſitionem in hoc carmine, hoc modo?*

Aut fœtus ouium aut vrentes culta capellas.

Quæſt. Adiuuabit te in hâc lectione multorum librorum authoritas, vbi profectò nulla eſt omninò difficultas. Sed cum multa etiam exemplaria eodem modo legant, quo ego ſuperius, hoc carmen citaui, exſpecto tuum in hâc etiam lectione reſponſum.

Reſp. *Sic ergo habeto, quia tibi minùs placet prior reſponſio: elidi dico literam (s) cum vocali precedente per Synalœpham.*

Synalœpha.

Quæſt. Synalœpha eſt vocalium aut diphthongorum non autem conſonantium eliſio.

Eclipſis.

Reſp. *Erraui (fateor), Eclipſin dicere volebam.*

Quæſt. Per Eclipſin eliditur (*m*) cum ſua vocali, non autem litera (*s*).

Literæ (s & d) aliquando per Eclipſin eliduntur.

Reſp. *Elidere tamen ſolebant veteres literam (s) quoque ſæpiſſimè, atque etiam literam (d), quod cum frequenter fiat apud Comœdiarum & Tragœdiarum Scriptores, illius vnicum ſolummodò exemplum memini me legere apud Martialem, quod*

placuit

placuit in calce penè huius opuſculi & diſputationum puerilium, ſiue Grammaticalium in ſtudioſorum gratiam huc aſcribere: (vno *Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Iaſpidas,* (D) in ſmaragdos elidendum. *portat in articulo ſtella, Seuere, meus.*

Quæſt. Fac ſcanſionem plenam & planam huius carminis in imperitiorum vſum & intelligentiam, vt nihil hîc vel ſimpliciſſimis relinquatur ſcrupuli.

Reſp. *Sic igitur ſcanſionem inſtituo:*

Sārdonўchās, Smărăgōs, ădàmāntās, ĭāſpidās ūnō.

Corripiuntur etiam hi accuſatiui in (as) *in Adamantas & Iaſpidas, quia ſunt accuſatiui Græci, plurales in* (*as*), *tertiæ declinationis, pro Adamantes, Iaſpides iuxta regulam.*

Quæſt. Non habet quiſquam quod hîc quicquam de vllâ difficultate queratur, tam manifeſta & perſpicua reddidiſti & explicâſti omnia eſtque hoc Martialis exemplum omni profectò obſeruatione digniſſimum.

DISPVTATIO

Hæc disputatio in tertiâ editione addebatur.

DISPVTATIO OCTAVA ET vltima de carminum generibus.

Quæstio octaua.

61 *Quot sunt carminum genera apud Latinos, & quæ sint pedes peculiares Carminis Hexametri, siue Heroïci.*

Præfatiuncula.

QVæst. Misellus ego & infœlix homuncio, meæque classis vltimus, cui etiam meritò vltimus à præceptore est designatus disputandi locus, (noluit enim me esse asymbolum, sed aliquid etiam inter reliquos in medium adferre) quò me tandem vertam, aut quâ demùm insistam viâ? Sum enim rudis omninò & ignarus, numquamque antea in hâc disputandi arenâ versatus. Huius meæ ignorantiæ & infantiæ probè conscius præceptor humanissimus, hâc me præ alijs in hoc concertandi genere magis & sæpiùs versatis, libertate donauit, vt quamcunque velim mihi ad disputandum delibem quæstionem, ne argumentorum fortassis penuriâ laborans, in ipso decertandi cursu medio deficerem, & turpiter terga darem. Cùm ergo alij circa syllabarum quantitatem strenue pugnauerunt, ego hîc pauca obijciam de Carminum generibus, præcipuè verò de pedibus carmini Heroico siue Hexametro peculiaribus. Quæro igitur quot carminum genera apud Latinos

tinos esse censeas, & qui pedes Carmini Heroico sunt maximè proprij ?

Resp. *Quæstio sanè multiplex & penè infinita, & ad quam quid aptè respondeam ferè nescio. Dico tamen multa & varia esse apud Latinos carminum genera, & plura etiam quotidiè addi posse, pro diuersâ & multiplice pedum inter sese connexione siue commistione.*

Quæst. Ego loquor non de omnibus, sed de præcipuis & vsitatioribus Carminum generibus.

Resp. *Sex enumerantur præcipuè genera in nostrâ Gramaticâ: Hexametrum scilicet siue Heroïcum, Pentametrum siue Elegiacum, Asclepiadæum, Sapphicum, Phalencium, & Iambicum. Noluit enim tenella puerorum ingenia tantâ generum multitudine, quot apud alios inueniuntur, obruere.*

Quæst. Et ego quoque huius rei magnam rationem habens, breuiatíque inseruiens pauca tantummodò quæram de carmine Hexametro, cuius nominis Etymologiam à te inprimis scire cupio.

Resp. *Hoc habet nominis à senario pedum numero, quo maximè & propriſſimè constat, licèt & Carmen Iambicum legitimum tot etiam habeat, sed non sta propriè, cum & aliquando plures, aliquando etiam pauciores admittat hoc carmen.* Carmen Hexametrum cur ita dictum.

Quæst. De numero conuenit. Reſponde itidem de genere.

Reſp. *Duo pedum genera capit ſolummodò Carmen Hexametrum, Spondæum ſcilicet & Dactylum, atque ita vt Spondæus ſemper occupet locum vltimum ſiue ſextum, Dactylus verò ſemper quintum ſiue penultimum.*

Quæſt. His ita per mutuas interrogandi & reſpõdendi vices penſitatis, ad illud quod quæſtioni magis eſt peculiare peruento, probaboq; Dactylum ſæpiſſimè poni in ſexto loco.

Reſp. *Hoc proba.*

Obiectio. *Quæſt.* Apud Virgilium ſecundo Georgi. huiuſmodi legis verſum.

Inſeritur verò ex fœtu nucis arbutus hõridã.

Solutio. Plura exempla quære apud Virgilium aut in indice noſtro ad finem. Reſp. *Multa occurrunt apud Virgilium huiuſmodi. Sed vbi hoc fit, volunt eruditi vt carmen potiùs dicatur Hypermetrum, quàm Dactylicum, quia cum deſinant ferè huiuſmodi carmina in vocali, debet vocalis redundans per Synalœpham cum initio ſequentis verſus (qui ferè incipit itidem a vocali aut diphthongo) elidi.*

Quæſt. Non ineptè aut incommodè hoc mones de fine Carminis Heroici. Sunt tamen & alij pedes præter Spondæum & Dactylum, qui non raro in hoc carminis genere reperiuntur, vti ex duobus hiſce Virgilij verſibus (vt alios omittam) apparet:

Obſtupui,

Obſtupui, ſtĕtĕrūntq; comæ, & vox faucibus hæſit. Alia obiectio.

Et iterum

Matri longa decem tŭlĕrūnt faſtidia menſes.

Reſp. *Conſtant hæc carmina Dactylo & Spondæo ſolummodò, ac proinde nodum hic in ſcirpo quæris.*

Quæſt. Et hunc nodum (niſi parum proſpiciant oculi tui) in hoc ſcirpo, tu vel quouis talpâ cæcior, facilimè perſpicere & deprehendere potes. (Stĕrĕrūnt) namq; & (tŭlĕrūnt), cuiuſmodi ſunt pedes.

Reſp. *Sunt dactylici. Conſtant enim ex duabus ſyllabis, primis breuibus, & tertiâ longâ.*

Quæſt. Habeo quod volebam, fatentem nempè aduerſarium, & ſuâ ſponte concedentem quod alias à me eſſet probandum.

Reſp. *Quid obſtat quo minùs verear id quod verum eſt fateri?*

Quæſt. Imprudenter tamen hoc mihi das, quod contra te vel maximè facit. Hâc enim ratione doces pedem Anapæſtum pro Dactylo ſubſtitui in hiſce carminibus. Conſtat namque pes Anapæſtus ex duabus breuibus, & vltimâ longâ. Anapęſtus pro Dactylo.

Reſp. *Tu quidem conſtanter nugaris, & verba mea in ſenſum alienum detorques. Eſt enim prima ſyllaba longa in hiſce pedibus, & petenda ex vltimâ ſyllabâ in dictionibus proximè præcedentibus.*

Quæst. Sic respondendo, caue ne tu teipsum si non parùm constantem, saltem valdè inconsideratum & imprudentem ostendas. Quanta enim est (te) in (stèterunt), & (le) in (tulerunt?

Resp. *Sunt breuia, vti facile docet horum carminum scandendi siue mensurandi ratio.*

Quæst. Penultima tamen in tertiâ personâ plurali præteriti actiui semper est naturâ longa, vt in exemplis omnium coniugationum appareat: Amauêrunt, docuêrunt, legêrunt, audiuêrunt.

Resp. *Ego, quòd contrarium accidat in his & similibus carminibus, multis rationibus, si cauillari liberet, facilimè me tutari possum. Sed breuitatis gratiâ dico hoc hîc fieri per figuram Systolen, qua est correptio syllabæ naturâ productæ.*

Systole.

Quæst. Esto hîc finis. Nam si probè considerantur quæ ab ipso huius libelli initio ad hunc vsque locum disputata vtrinque sint, in omnibus propositis quæstionibus: nihil erit ferè in vniuerso Grammatices Latinæ campo, quod iunioribus in Scholis triuialibus multum negotij facessere queat, aut imperitioribus dubitandi ansam meritò subministrare posse videatur.

Παντοτε δοξα Θεῷ.

Candido Lectori, S. P. D.

Peræpretium me putabam, & rem omnibus rei Grammaticæ Tyrunculis gratiſsimã factu-rum, ſi poſt commonſtratam diſputandi viam (quemadmodum in hiſce quæſtionibus & reſponſionibus rudi quaſi Mineruâ factitatum eſt) ſubijcerem etiam ex probatioribus Latinæ linguæ Scriptoribus magnam & copioſam exemplorum ſupellectilem, tam à Poëtis, quàm ſolutæ orationis Authoribus petitam, in quibus paruo labore & operâ proponeretur ſatis ampla & frugife-

ra ad diſputandum materia. Ecce tibi igitur (candide & ſtudioſe Lector) ſine vllâ difficultate & negotio tuo, locorum difficiliorum faraginem, non ſine ſummo meo labore, & infatigabili lectione collectam, nunc verò magnoperè locupletatam & auctam, vnde promptè & expeditè, iudicio & arbitratu tuo in hunc finem & vſum queas depromere. Vale & fruere.

INDEX

INDEX COPIOSVS,

& amplus variorum locorum & exemplorum, ex optimis authoribus collectus, & hîc tabellæ vice subiectus, vnde possint studiosi adolescentes argumenta ad disputandum desumere.

Ex Plauti Amphitruone.

Ex argumento primo.

Postquam rediere veri Amphitruo & Sosia. Veri Amphitruo & Sosia.
Vterq́, deluduntur dolis mirum in modum. ibid. Vterque deluduntur.

Ex argumento secundo.

Amore captus Alcumenas Iupiter. Alcumenas.

Ex prologo.

Vt vos in vostris voltis mercimonys emundis, vendundísque. Vostris voltis Emundis. Vendundis.
Hæc vt me voltis approbare, annitier. ibid. Annitier.
Quod dictum foret, scibat facturos ibid. Scibat.
Iustam rem, & facilem esse oratum vobis volo. ibid. Rem esse oratum.
Quis benefactis meus pater. ibid. Quis.
Nunc quam rem oratum huc veni. ibid. Rem oratum.
Quasi nesciam vos velle, qui Dinos siem. ibid. Dinos siem.

Seruos paris.	*Quoniam hic seruos quoq; partis habet.*	ibid.
Quoi.	*Si quoi fauitores delegatos viderint.*	ibid.
Clam virum.	*Is amare occœpit Alcumenam clam virum.*	ibid.
Duint.	*Siue adeo Ædiles perfidiose cui duint.*	ibid.
Seruili schema	*Huc processi sic cum seruili schema.*	ibid.
Quoius.	*Cubat complexus quoius cupiens maxim' est.*	ibid.
Seruos.	*Sed Amphitruonis illic est seruos Sosia.*	ibid.
	Ex act. 1. scæ. 1.	
Hoc luci.	*Nonne idem hoc luci me mittere potuit.*	
Eum potiuit seruitutis.	*Qui fuerim liber, eum nunc potiuit pater seruitutis.*	ibid.
Potiremur domum.	*Sal ni potiremur domum.*	ibid.
Internecatis.	*Internecatis hostibus.*	ibid.
Ignoscamus peccatum.	*Orant, ignoscamus peccatum suum.*	ibid.
Expugnassere.	*Eorum oppidum expugnassere.*	ibid.
Fugam conuortitur.	*Sed fugam in se tamen nemo conuortitur.*	ibid.
Patera qui.	*Patera aurea, qui Pterela potare rex solitus est.*	ibid.
Ad ædis.	*Ad ædis sinam nunquam accedere.*	ibid.
Hâc noctu.	*Credo ego hâc noctu Nocturnum obdormiuisse ebrium.*	ibid.
Deos similis.	*Deos esse tui similis putas?*	ibid.
Ante ædis.	*Quem ante ædis video hoc noctis?*	ibid.
Placet me.	*Apage: non placet me hoc noctis esse.*	ibid.
Seruos.	*Nonne ego sum seruos Amphitruonis Sosia.*	ibid.
Hâc noctu.	*Nonne hâc noctu nauis nostra ex portu Persico venit.*	ibid.
Noctu hâc.	*Noctu hâc soluta est nauis nostra.*	ibid.
Contemplo.	*Hunc contemplo.*	ibid.

Vox auris, vt videtur, verberat.	ibid.	Auris verberat.
Quid apud haſce ædis negotium eſt tibi.	ibid.	Haſce ædis.
Med eſſe eius familiarem prædico.	ibid.	Med.
Quoius nunc es?	ibid.	Quoius.
Nec nobis præter med alius eſt quiſquam ſernus Soſia.	ibid.	Med.
Non mi eſt laterna in manu?	ibid.	Mi.
Patera, qui potiare ſolitus eſt rex Pterela.	ibid.	Patera, qui.
Per Iouem iuro med eſſe.	ibid.	Med.
Oculi, naſum, labra, malæ	ibid	Naſum.
Noui ædis noſtras.	ibid.	Noui ædis.
Si me irritaſſis.	ibid.	Irritaſſis.
Sce. 2.		
Patri vt liceret tutò illam amplexarier.		Amplexarier.
Erroris ambo ego illos & dementiæ complebo.	ibid.	Complebo.
Sce. 3.		Ambo erroris.
Prius abis quàm lectus vbi cubuiſti concaluit locus.	ibid.	Locus lectus.
Quid tibi hanc rem curatio eſt?		Curatio rem
Sic condignũ donũ, qualo eſt quoi dono datũ eſt.	ibid.	Quoi.
Ex act. 2. ſc. 1.		
I tu, ſecundum ſequor.		Secuudum.
Vah, apage te à me.	ibid.	Apage te.
Rogas ne improbe, etiam qui ludificas me?	ibid.	Ludificas.
Valeo, & ſaluos ſum recte.	ibid.	Saluos ſum.
Herum, qui ludificas dictis delirantibus.	ibid.	Ludificas.
Quoius ego hodie in tergo faxo iſta expetant mendacia.	ibid.	Quoius.

Ego eſt. *Nec lac lacti magis eſt ſimile, quàm ille ego ſimilis eſt mei.* ibid.

Sce. 2.

Quoique. *Ita quoiq; comparatum eſt.*

Voluptati ſequatur. *Ita dijs placitum, voluptati vt mœror comes ſequatur.* ibid.

Diuini quicquam creduis. *Nunquam ædepol tu mihi diuini quicquam creduis poſt hunc diem.* ibid.

Occepſo. *Ego illi puteo, ſi occepſo, &c.* ibid.

Adue ſum huic. *Si huic eam aduerſum.* ibid.

Rumificant. *Cives Thebani rumificant probam.* ibid.

Nos dormientis. *Huc nos dormientis detulit.* ibid.

Tetuli. *Oſculum tetuli tibi.* ibid.

Homines delirantis. *Nulla res tam delirantis homines concinnat citò.* ibid.

Hâc noctu. *Hâc noctu aduecti ſumus.* ibid.

In ædis. *Neque meum pedem intuli etiam in ædis.* ibid.

Ad hoſtis. *Hinc profectus ſum ad hoſtis.* ibid.

Dicit in me. *In me inclementer dicit.* ibid.

Niſi vos. *Quis igitur niſi vos narrauit.* ibid.

Hem pateram. *Hem tibi pateram.* ibid.

Tetuli. Ted. *Oſculum tetuli tibi.* ibid.

Generi decet. *Mi vir, ex ted audio.* ibid.

Illud aſſentiant. *Noſtro generi non decet.* ibid.

Nobis præſente. *Qui illud quod ego dicam, aſſentiant.* ibid.

Fungatur munus. *Nec nobis præſente.* ibid.

Cupidinem, ſedatum, *Munus fungatur tuum.* ibid.

Pudorem & ſedatum cupidinem. ibid.

Vbi primum ſenſiſti mulierem impliciſcier. ibid. Impliciſcier.
Delinitus ſum profectò ita vt me qui ſim, neſciam ibid. Qui me ſim.
Caue ſis ne tu te vſu perduis. ibid. Perduis.
Ita nunc homines mutantur poſtquam peregre aduenimus. ibid. Aduenimus.

Ex act. 3. ſc. 1.

Faciámque vt vno fœtu, & quod grauida eſt viro, & me quod grauida eſt, pariat ſine doloribus. Grauida viro. Grauida me.

Sc. 2.

Durare nequeo in ædibus: ita me probri, dedecoris, ſtupri à viro argutam meo? Ita me argutam.
Quo ted aduertiſti? ibid. Ted.
Poſtquam audiui ted eſſe iratam mihi. ibid. Ted.
Gubernatorem qui in meâ naui fuit. ibid. Fuit Gubernatorem.

Sc. 3.

Dum cum hâc vſurariâ vxore nunc mihi morigero hæc curata ſient. Vxore morigero.

Sc. 4.

Ornatum capiam, qui potis decet. Potis decet.

Ex act. 4. ſc. 1.

Naucratem, quem conuenire volui, in naui non erat. Naucratem erat.
Nam omnis plateas præreptani. ibid. Omnis plateas.
Apud omnis ædis ſacras. ibid. Ædis ſacras.
Sed ædis occluſerunt. ibid. Ædis occluſerunt.

Sc. 2.

Niſi formam dij hodie meam perduint, Perduint.

Tun'

Procul ædibus prohibeſſis — *Tun' furcifer meis me procul ædibus prohibeſſis?* ibid.

Qui vxore? — *Qui vxore?*

Qui cum? — *Qui cum cubat?* ibid.

Ludifices. — *Qui me ludifices.* ibid.

Incubat corpus. — *Corpore corpus incubat.* ibid.

Perduant. — *Dij familiam perduant.* ibid.

Sc. 3.

Creduas. — *Id impranſus creduas.*

Grandire. — *Non potuimus noſtros grandius grandire gradus.* ibid.

Bacchus te irritaſſit. ibid.

Irritaſſit.

Aduerſum vxori. — *Te aduerſum vxori aduocatum volo.* ibid.

Sc. 4.

Impudicitiæ. — *Vxorem meam impudicitiæ impediuit.*

Viuos & ſanus. — *Viuos & ſanus intereo.* ibid.

Ex act. 5. ſc. 2.

Toniuit. — *Vt valide toniuit!*

Lauere. — *Lauere iuſſit nos.* ibid.

Ambo anguis. — *Puer ambo anguis enecat.* ibid.

Tonit. — *Quam valide tonit!* ibid.

Ex Plauti Aſinariâ.

Ex prologo.

Graxis. — *Caue modo ne graxis.*

Lepos. — *Idem lepos, ludiſq; in hâc comœdiâ.*

Ex act. 1. ſc. 1.

Med. — *Si quid med erga hodie falſum dixeris.*

Vt tibi ſuperſtes vxor ætatem ſiet. ibid. Ætatem.
Per Deum fidium quaris iurato mihi. ibid. Deum fidium.
Vt ipſe ſcibo te faciam vt ſcias. ibid. Scibo.
Me dignum quoi crederet, habuit. ibid. Quoi.
Moriri ſe miſerè manolet. ibid. Moriri.
Scipionem contui. ibid. Contui.

Sc. 3.

Vnumquodque iſtorum verbum nummis Philippeis non poteſt auferre hinc. Iſtorum verbum.
Vbi lena benè agat cum quiquam amante, quæ frugi eſſe volt. Cum quiquam. ibid.
Subblanditur nouos amator, ſe vt cum videat, gaudeat. Nouos amator. ibid.
Annum hunc ne cum quiquam alio ſiet. ibid. Cum quiquam.

Exact. 2. ſc. 1.

Non te melius velle expergiſcier. Expergiſcier

Sc. 2.

Illic homo ædis compilauit. Ædis.
Metuo in communi, ne quam fraudem frauſus ſiet. Fraudem frauſus. ibid.
Scapulæ geſtibant mihi. ibid. Geſtibant
Ille eſt ipſus. ibid. Ipſus.

Sc. 3.

I puere pulta. Puerus.
Qui pro iſtuc? ibid. Qui pro.

Sc. 4

Non magni pendo, ne duint. Duint.
Hercle iſtum dij omnes perduint. Perduint.

Ex-

Exact. 3. scæ. 1.

Tbi moratam. *Vbi piem pietatem, si isto more moratam tibi postulem placere.*

Reposiui. *Quin pol si reposiui.* ibid.

Contui. *Colloqui contui.* ibid.

Contemples. *Meum caput contemples.* ibid.

Alienas ouis. *Pascit alienas ouis.* ibid.

Sc. 2.

Ingenio. decuit. *Vt meque, teque maximè, atque ingenio nostro decuit.*

Quoi. *Quoi rei? Lib. Qui verberem asinos.* ibid.

Sc. 3.

Bonæ frugi. *Nunquam bonæ frugi sient.*

Meis præcedunt. *Vt vestræ fortunæ meis præcedunt.* ibid.

Amantibus complexos. *Vobis est suaue amantibus complexos fabulari.* ibid.

Seruassint. *Di te seruassint semper.* ibid.

Meus ocellus. *Da meus ocellus.* ibid.

Exact. 4. sc. 2.

Munus fungare. *Munus adolescentuli fungare.*

Exact. 5. sc. 1.

Dixis. *Ne dixis istuc.*

Scc. 2.

Accreduas. *Neq; diuini, neq; mi humani posthac quicquam accreduas Artemona, si huius rei me esse mendacem inueneris.*

Hem hominem. *Hem tibi hominem.* ibid.

Noctes. *Alternas noctes frui.* ibid.

Receptio virum meum. *Quid tibi huc receptio ad te est virum meum.* ibid.

Me miseram hodie enecauit. ibid. Enecauit.

Sc. 3.

Hic senex si quid clam vxorem suo animo fecit volup. Clam vxorem volup.

Nunc si voltis deprecari huic seni, ne vapulet. ibid. Huic seni.

Ex Plauti Aulularia.

Ex argumento.

Insidias seruos facit huius Lyconidis. Seruos.

Ex Prologo.

Concredidit thesaurum auri clam omnis. Clam omnis.

Mihi quotidie aut thure, aut vino, aut aliqui semper supplicat. Aliqui.

Ex act. 1 scæ. 1.

Testudinem istum tibi ego grandibo gradum. Grandibo.

Vtinam me diui adaxint ad suspendium. ibid. Adaxint.

Aut si respexis. ibid. Respexis.

Verba imprudenti duint. ibid. Duint.

Sc. 2.

Hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus. Quęsti.

Ad ædis nostras nusquam adyt. ibid. Ad ædis.

Adeunt, consistunt, copulantur dextras. ibid. Coplantur dextras.

Ex act. 2. scæ. 1.

Quisnam ea est optima? Quisnam.

Quis ea est, quam vis ducere vxorem? ibid. Quis.

Sc. 2.

Præsagibat mihi animus. Præsagibat.

Inhiat

Inhiat aurum.	*Inhiat aurum, vt deuoret.*	ibid.
Zamiam.	*Onerat aliquam Zamiam.*	ibid
Harpagatum.	*Aurum mihi intus harpagatum eſt.*	ibid.
Duas.	*Ne duas.*	ibid.
Faſtidit mei	*Faſtidit mei.*	ibid.
Perplexarier.	*Scio quo vos, pacto ſoleatis perplexarier.*	ibid.
Id inhiat.	*Credo ego iam illum inaudiſſe mihi eſſe theſaurum domi: id inhiat.*	ibid.
	Sc. 5.	
Agnum horum.	*Agnum horum vter eſt pinguior?*	
	Sc. 8.	
Nihil qui.	*Nil eſt qui emam.*	
	Exact. 3. Sce. 2.	
Tactio nos.	*Quid tibi nos mendice homo tactio eſt?*	
Edim.	*Vtrum crudum an coctum edim.*	ibid.
	Sc. 5.	
Præ quam.	*Sed hoc etiam pluchrum eſt, præ quam vbi ſumptus petunt.*	
	Sc. 6.	
Mutaſſis.	*Caue ſis tibi, ne tu in me mutaſſis nomen.*	
	Exact. 4. Sc. 2.	
Quoiquam indicaſſis.	*Caue quoiquam indicaſſis.*	
Prohibeſſis.	*Quæſo vt prohibeſſis fides.*	ibid.
	Sc. 3.	
Crocibat.	*Voce crocibat ſua.*	
	Sc. 4.	
Perſcrutaui.	*Poſtremo iam hunc perſcrutaui.*	
	Sc. 6.	
Coruum.	*Coruum ad me veniat velim.*	

Sc.7.

Istuc confido a fratre me impetrassere. Impetrassere.
Obsecro te vterum dolet. ibid. Vterum.
Seruum meum Strobilum miror vbi sit. ibid. Strobilum.

Sc.6.

Tantum gemiti & malæ molestiæ. Gemiti.

Sc.10.

Cui tanta mala mœstitudóque obtigit. Obtigit.
Quid tibi ergo meam me inuito tactio est? ibid. Tactio meam

Ex act.5.

Credo ego illi vt iussi eampse anum adisse huius nutricem virginis. Eampse.

Ex Plauti Captiuis.

Ex argumento.

Alium quadrimum fugiens seruos vendidit. Fugiens seruos.

Ex Prologo.

Alterum quadrimum puerum seruos surpuit. Seruos surpuit.

Ex act. 1.sc.2.

Iam maritum omnes milites opus sunt tibi. Opus milites.
Nunquam istuc dixis, neque animum induxis tuum. ibid. Dixis Induxis
Illum confido in his diebus reconciliassere. ibid. Reconciliassere.
Si pauxillum potes contentus esse. ibid. Contentus pauxillum.

Ex act.2.sc.1.

Breuem orationem incipesse. Incipesse.
Vt mihi te volo esse autumo. ibid Autumo.

Ea compotes.	*Obnoxij vobis ambo ſumus propter hanc rem, cum quod volumus nos copia eſt, ea facitis nos compotes:*	ibid.
Seruibas.	*Cum ſeruibas mihi.*	ibid.
Patri decere,	*Patri decere videatur magis:*	ibid.
Duis.	*Vnum nummum ne duis.*	ibid.
Quoi,	*Quoi ſuum concredat filium.*	ibid.
Collus.	*Quod collus collaria caret.*	ibid.
Nuntiari ad patrem.	*Quæ ad patrem vis nunciari.*	ibid.

Sc. 3.

Hem hominem,	*Hem tibi hominem.*	
Rebitas,	*Si non rebitas huc.*	ibid.
Nunciare ad patrem.	*Quæ nunciare hinc te volo in patriam ad patrem.*	ibid.
Rebito.	*Si hinc rebito, faciam.*	ibid.
Ingenium excutiunt lachrymas.	*Hominum ingenium liberale vt lachrymas excutiunt mihi.*	ibid.

Sc. 4.

Adbites, Denasabit.	*Namque adepol ſi adbites os propius, denaſabit tibi.*	
Audibis,	*Ex me audibis vera.*	ibid.
Deliquio fiet.	*Nullam cauſſam dico, quin mihi & parentum & libertatis apud te deliquio fiet.*	ibid.

Sc. 5.

Perbitat,	*Qui per virtutem perbitat, non interit.*	
Perdu's.	*Te iſtunc hominem perduis.*	ibid.
Cuſtodibitur.	*Noctu nerno vinctus cuſtodibitur.*	ibid.

Ex act. 4 ſcæ. 2.

Scibitur,	*Quod cum ſcibitur per vrbem erridebor.*	

Quorum odos ſub baſilicâ. ibid. Odos.
Proin tu tui quotidiani victi ventrem ad me affe- Victi.
ras. ibid.
Quæ minitas mihi. ibid. Minitas.

Sc. 3.

Ego collos detruncabo tergoribus. Collos.

Sc. 4.

Dicam vt ſibi penum aliud ornet. Penum aliud.

Ex act. 5. ſc. 2.

Nunquam neq; frugi bonæ, neq; ero vnquam, neq; Frugi bonæ.
ſpem ponas me bonæ frugi fore.
Nugæ iſtæc ſunt: non me cenſes ſcire quid dignus ſi- Quid dignus. Aliàs Qui.
em. ibid.

Sc. 3.

Pegnium vocitatus eſt, vos indidiſtis Tyndaro. Indidiſtis Tyndaro.
ibid.

Sc. 4.

Antes aut cothurnices dantur quiſcum luſitent. Quiſcum.
Quoius cauſſa hanc ærumnam exigo. ibid. Quoius.

Sce. 5.

Scortum liberet clam patrem ſuum. Clam patrem

Ex Plauti Curculione.

Ex argumento.

Ipſus ſororem quam peribat repperit. Ipſus.

Ex act. 1. ſc. 1.

Quo ted hoc noctis dicam proficiſci foras. Ted,
Quid ante pones Veneri ientaculo? ibid. Ientaculo.

Puere.	*Cedo puere ſinum.*	ibid.

Sc. 2.

Amos.	*Eius amos cupidam me huc prolicit per tenebras.*	
Lepos.	*Salue anime mi, liberi Lepos.*	ibid.
Vnguentum.	*Omnium vnguentum odor.*	ibid.
Odos.	*Naſo odos obſecutus eſt meo.*	ibid.
Sagax Naſum	*Sagax naſum habet.*	ibid.
Careo id.	*Quia id quod amo careo.*	ibid.
Bitet.	*Si illa ad me bitet.*	ibid.

Sc. 3.

Eapſe.	*Eapſe merum cum didicit bibere.*	
Amare inſanum	*Totum inſanum amare, hoc eſt, quod herus meus facit.*	ibid.
Quiſque habeant.	*Sibi quiſque habeant quod ſuum eſt.*	ibid.
Vterque inſaniant.	*Vterq; inſaniant.*	ibid.

Exact. 2. ſc. 1.

Præſepim.	*Ad præſepim ſuum.*	
Quoiam.	*Quoiam vocem audio?*	ibid.

Sc. 2.

Opus.	*Quin depromuntur quæ opus ſunt paraſito.*	

Sc. 3.

Gaudeam ventum	*Facite ventum vt gaudeam.*	
Oppoſuit.	*Ille ſuum annulum oppoſuit.*	ibid.

Exact. 3. Sc. 1.

Inſtabunt me	*Si magis me inſtabunt.*	
Poſcant.	*Vt alius alium poſcant.*	ibid.
Incomites.	*Quæſo ne incomites.*	ibid.
Inſorare.	*Licet ne inſorare ſi incomitiare non licet.*	ibid.
Incomitiare		
Sum iſtum.	*Sed iſtum quem quæris ego ſum.*	ibid.

Tibi

Tibi vt detur quam emisti virginem. ibid. Virginē detur
Non potuere vno anno circumirier. ibid. Circumirier.

Ex act. 4. scæ. 2.

Parissimi estis ibus. Ibus.
Fac sis bonæ frugi sies. ibid. Bonæ frugi.
Istas decem minas qui me procurem dum melius sit mihi, des. ibid. Qui.
Quoi homini Dei sunt propitij. ibid. Quoi.

Sc. 3.

Quas apud te deposiui. Deposiui.
Quoi nihil debeo. ibid. Quoi.
Tunm qui signum ad me attulisset nuncium ne spernerem. ibid. Nuncium qui.
Quis respublica & priuata geritur. ibid. Quis.

Sc. 4.

Vt ego potiùs comedim quàm ille. Comedim.

Ex act. 5. sc. 1.

Antiquom poëtam audini scripsisse. Antiquom.
Apage istam caniculam. Apage caniculam.

Sc. 2.

Quid istum tibi tactio est? Tactio istum.
Miles quæso vt mihi dicas vnde illum habes annulum, quem parasitus hic de elusit. ibid. Quem.
Sed eccum leonem, incedit, thesaurum meum. ibid. Thesaurum.

Ex Plauti Casina.

Ex argumento.

Seruulos dominum mulcat: Seruulos mulcat.

Ex Prologo.

Intra præsepis. *Intra præsepis suas.*

Antidhac. *Quod feciſtis antidhac.* ibid.

Ex act. 1. ſc. 1.

Reddibo. *Ego te ruri reddibo.*

Sc. 3.

Manus caluitur. *Sopor manus caluitur.*

Sc. 4.

Lepos. *Reſpice ô mi lepos.*

Friguris. *Tu nam quid friguris.*

Scæ. 5.

Bonæ frugi. *Perbonæ frugi hominem iampridem eſſe arbitror.*

Decolaſſit. *Si fors autem decollaſſit.* ibid.

Eum in cumbam. *Gladium faciam culcitram, eumque incumbam.* ibid.

Sc. 6.

Operam quod. *Quàm iſtam operam à me impetres quod poſtulas.*

Quicum. *Quicum litigas Olympio Olymp. Cum eàdem qui tu ſemper.* ibid.

Seruaſſint. *Dij te ſeruaſſint mihi.* ibid.

Frugi bonæ. *Siquidem tu frugi bonæ es.* ibid.

Emiſſim. *Non ego iſtud verbum emiſſim.* ibid.

Sc. 7.

Alia ſortis, *Vide ne qua illic ſit alia ſortis ſub aquâ.*

Iſtunc tactio. *Quid tibi iſtunc tactio eſt?* ibid.

Hunc tactio. *Quid tibi tactio hunc fuit?* ibid.

Scæ.

Scæ. 8.

Et præter operam reſtim ſumpti fecerim. Sumpti fecerim.

Scæ. 9.

Batuatur tibi os ſenex nequiſſime. Batuatur.

Scæ. 11.

Sed eccum egreditur Senati columen. Senati.

Tum iſtam conuenibo. ibid. Conuenibo.

Scæ. 14.

Quid intus tumulti fuit? Tumulti.

Per omnes deos & deas deiurauit occiſurum eum hâc nocte quicum cubaret. Quicum. ibid.

Habet duos gladios, quibus altero te occiſurum minatur altero villicum. Quibus, Occiſurum. ibid.

Si effexis hoc. ibid. Effexis.

Scæ. 17.

Abi tu hinc: cunctas? Cunctas.

Nullum eſurit. ibid. Nullum.

Scæ. 19.

Inſtitit plantam. Plantam.

Quaſi iocabo. ibid. Iocabo.

Pene expoſuit cubito. ibid. Expoſuit.

Sc. 20.

Lubet Chalinum quid agat ſcire. Chalinum.

Obtunſo ore nunc peruelim progrediri ſenem: ibid. Obtunſo, Progrediri.

Sc. 21.

Ita nunc pudeo. Pudeo.

Pudet quod prius non puditum vnquam eſt. ibid. Quod.

Ex Plauti Ciſtellariâ.

Ex act. 1. ſc. 1.

Quiſquam mulier. *Quod neque ego habeo, neque quiſquam alia mulier.*

Quiquam viro. *En vnquam cum quiquam viro conſueniſti?* ibid.

Clauis. *Accipias clauis.* ibid.

Sc. 2.

Quod vſus. *Tacere nequeo miſera, quod tacito vſus eſt.*

Sc. 3.

Id lubet. *Quod lubet non lubet iam id continuò.*

Primo luci Ambo accidero. *Cum primo luci cras niſi ambo occidero.* ibid.

Sc. 5.

Mulier quiſquis. *Mulier quiſquis es.*

Intellexis. *Nam ni intellexis.* ibid.

Sc. 6.

Tetulero. *Hanc ego tetulero intra limen.*

Ex act. 2. ſc. 2.

Augura. *Aſtutè augura.*

Quoi. *Quoi excidit ciſtella.* ibid.

Cibus quod *Iſtic mihi cibus eſt quod fabulare.* ibid.

Innoluolum, quæ. *Innoluolum, quæ in pampini folio intorta implicat ſe.* ibid.

Adhinnire equulam. *Adhinnire equulam poſſum ego hanc.* ibid.

Ex

Ex Plauti Epidico.

Ex act. 1. sc. 1.

Opera reddibitur tibi. Reddibitur.

Sc. 2.

Id ne pudet te? Id pudet.
Desipiebam mentis. ibid. Mentis.
Nec sermonis fallebar tamen quæ loquerentur. ibid. Sermonis quæ.

Sc. 3.

Plerique homines cum nihil refert, pudent. Homines pudent.

Sc. 4.

Eorum exsugebo sanguinem, senati columen qui cluent. Exsugebo Senati.

Sc. 8.

Ridibundam atque hilaram hùc adduxit simul. Hilaram.

Sc. 9.

Cave præterbites ullas ædis. Præterbites ædis.
Strenuori si deterior prædicat suas pugnas: ibid. Strenuori.
Istum quem quæris Periphanem Platenium, ego sum. ibid. Ego sum Periphanem.

Sc. 10.

Quia tuæ memoriæ interpretari me æquum censes. Memoriæ.

Scæna 11.

Exitiabilem ego illi faciam, hunc vt fiat diem. Diem fiat.

Scæna 12.

Quis est hæc mulierecula? Quis mulierecula.

Scæna 13.

Quis ea est mulier? Quis mulier
Ne attigas. ibid. Attigas.

Ex

Ex Plauti Bacchidibus.

Ex act. I. sc. I.

Opperibere. *Sedens hic opperibere.*

Blandicia. *Viscus merus vestra est blandicia.* ibid.

Malaciſſandus. *Malaciſſandus es.* ibid.

Deſudaſcitur. *Damnis deſudaſcitur.* ibid.

Sc. 2.

Renunciem ad patrem. *Teq; ad patrem eſſe mortuum renunciem.*

Sc. 4.

Quæſçre. *Mirum eſt, me vt redeam te opere tanto quæſere.*

Sc. 5.

Illuxere. *Dei quatuor ſceleſtiorem nullum illuxere alterum.*

Sc. 6.

Apage à me. *Apage iſtas à me ſorores.*

Sc. 7.

Siris. *Cane ſis te ſuperare ſeruum ſiris faciundo bene.*

Sc. 8.

Attigas. *Ne attigas puerum.*

Siriat. *Ne Dij ſirint.* ibid.

Creduas. *Nec tu creduas.* ibid.

Sc. 9.

Diuini creduat. *Mihi diuini nunquam quiſquam creduat.*

Sublandibitur. *Inopi ſublandibitur.* ibid.

Scæna. 11.

Hominem ſi. *Dic modo hominem qui ſit.*

Sc. 18.

Largibere. *Tun' libertatem Chryſalo largibere?*

Scæna

Scæ. 20.

Atridæ duo fratres cluent feciſſe facinus maximum, cum Priami patriam Perganum, diuina mœnitum manu, &c. Cluent. Mœnitum. Pergamum.

Scæ. 22.

Is me ſcelus auro vſque attondit. Is ſcelus.

Scæ. 23.

Ouis nos vocant. Voeant ouis.
Quæ nec lactem nec lanam vllam habent. ibid. Lactem.
A pecu cætero abſunt. ibid. Pecu.
Si quam debes, te condono. ibid. Te condono.
Scortum accumbas. ibid. Scortum accumbas.

Ex Plauti Moſtellariâ.

Ex act. 1. ſc. 1.

Quem abſentem comes. Comes.
Quid tibi, malum, me, aut quid ego agam, curatio eſt? Me curatio. ibid.
Sine me alliatum fungi fortunas meas. ibid. Alliatũ fungi fortunas.

Scæ. 2.

Ego victitabam volupe. Victitabam volupe.

Scæ. 3.

Te ſcapha donabo ego hodie aliqui. Aliqui.
Vnum inſeruire amantem. ibid. Amantem.
Siti famæ atque algu. ibid. Algu.
Illum inſeruibis ſolum. ibid. Inſeruibis illum.
Soli gerundũ cenſeo morẽ & capiundas crines. ibid. Capiundas crines.
Iſtæc veteres quæ ſe vnguentis vnctitant. ibid. Iſtæc.

Sc.

Scæ. 4.

Aduersum mihi. *Aduersum venire mihi ad Philolachem volo tempori.*

Scæ. 5.

Depositit. *Ecce autem hic deposiuit caput.*
Medicabo metum. *Istum lepide medicabo metum.* ibid.

Scæ. 6.

Necauit. *Hospes necauit hospitem captum manu.*
Operitus. *Id sum operitus,* ibid.

Scæ. 8.

Increpauit. *Nunquid increpauit filium.*

Scæ. 10.

Aduorsum hero. *Eo aduorsum hero.*
Dij crastini. *Hoc dij crastini cum herus rescierit mane.* ibid.

Ex Plauti Menæchmis.

Ex prologo.

Ipsus annos. *Ipsus eodem est vocatus annos nomine.*

Ex actu primo scæna prima.

Detergeo. *Mensam quando ego detergeo.*

Scæ. 2.

Quicquam. *Nec quicquam eges.*

Scæ. 4.

Munus fungitur. *Oclo hominum munus facile fungitur.*

Scæ. 6.

Quicum. *Quicum hæc mulier loquitur?*
Assentiabor. *Assentiabor quicquid dixerit.* ibid.
Solem occasum. *Tu facito ante solem occasum vt venias aduorsum*
Aduorsum mihi. *mihi.* ibid.

Scæna

Sc. 7.

Edepol venio aduorſum tempori. Venio aduorſum.

Sc. 8.

Prandi: potaui: Scortum accubui. Scortum accubui

Nunc loquitur de me, & de parti meâ. ibid. De parti

Quis hic eſt qui aduerſum ſit mihi. ibid. Aduerſum mihi.

Sc. 9.

Scin' quod hoc ſit ſpinter? Spinter.

Sc. 11.

Vin' afferri noctu eam, quæ tu, tu, vſq; dicat tibi. Tu, Tu.

Sc. 12.

Quia commiſi vt me defrudes. Defrudes

Conſulam hanc rem amicos. ibid. Hanc rem

Sc. 14.

Iſta hæc ſolent. Hæc in plural de mulieribus.

Dotefretæ fero. ibid. Dote fero

Loquere vter meruiſtis culpam paucis. ibid. Vter meruiſtis.

Neuter ad me iretis cum querimoniâ. ibid. Neuter iretis.

Ego huius membra, atque oſſa, atque artua comminuam illo ſcipione. ibid. Artua.

Sc. 18.

Recordet id. Recordet.

Sc. 19.

Defendam, & ſubuenibo ſedulò. Subuenibo.

Quid me vobis tactio eſt? ibid. Tactio me

Nimis haud benè ora commentaui. ibid. Commentaui.

Nunquam ad ſolem occaſum viuerem. ibid. Solem occaſum.

Saluum tibi vt mihi dediſti reddibo, ibid. Reddibo.

Scæna

Sc. 20.

Aduorſum mihi. *Aduorſum mihi imperauit vt huc venires.*

Sc. 21.

Lacte. *Nec aquâ aquæ, nec lacte lacti, crede mihi, vſquam ſimilius, quam hic tui eſt, tuque huius.*
Seruibo tibi. *Liber ſeruibo tibi.* ibid.
Vterque dicite. *Vterque id quod rogabo dicite.* ibid.
Vter eratis. *Vter eratis, tun' aut ille maior?* ibid.
Renunciatum ad nos. *Poſt quam ad nos renunciatum eſt.* ibid.
Die ſeptimi. *Die ſeptimi auctio fiet.* ibid.
Vænibit. *Vænibit vxor quoque.* ibid.

Ex Plauti Militi glorioſo.

Ex argumento ſecundo.

Seruos. *Seruos Attici vt nunciaret domino factum nauigat.*

Ex act. I. ſc. 1.

Mentibitur. *Quicquid hic mentibitur.*
Ibus. *Ibus numerem ſtipendium.* ibid.

Sc. 2.

Magnai &c. *Magnai reipublicai gratiâ.*
In Epheſum. *Huc mulierum in Epheſum auehit.* ibid.
Ad herum nunciem. *Vt eam rem Naupactum ad herum nunciem.* ibid.
Glaucomam. *Glaucomam ob oculos obijciemus.* ibid.

Sc. 3.

Obſidium perduellis. *Curre in obſidium perduellis.* ibid.

Sc. 4.

Effodiri. *Iube nunc tibi oculos effodiri.*

Ne

Ne imprudenti hic ea ſe ſubrepſit mihi. ibid. Subrepſit.

Sc. 5.

Inſiſte in dolos. In dolos.
Qua cum hoc inſano fabulem. ibid. Fabulem.
Non mihi poſſunt minacijs tuis hiſce oculi fodiri. Hiſce oculi fodiri. ibid.
Quod noctu hâc ſomniaui. ibid. Noctu hâc.

Sc. 6.

Quæ circum vicinos vages. Vages.
Quiſpiam nos vicinorum imprudentis aliquis immutauerunt. Imprudentis. ibid.

Sc. 7.

Me deſpexe ad te per impluuium tuum fateor. Deſpexe.
Ne dum abſim multis ſortito ſiem. Sortito ſiem ibid.

Sc. 8.

Magis ad rem non poteſt eſſe vtibile. Vtibile adrem
Bona mea inhiant. ibid. Bona inhiant.
Erro, quam inſiſtas viam. ibid. Viam inſiſtas.
Rei nullæ aliæ eſt improbus. ibid. Nullę alię rei.
Cedo te mihi ſolæ ſolum. ibid. Mihi ſolę.

Sc. 9.

Nimius cator comburebat gutturem. Gutturem.

Sc. 10.

De meo nihil his noui appoſiui. Appoſiui.
Culpam omnem in me impingito. In me impingito. ibid.
Inſiſte hoc negotium ſapienter. Inſiſte hoc negotium. ibid.

Sc. 11.

Ad tuam formam illa vna digna eſt. Digna ad formam.

Quæ. *Aurum atq; ornamentum quæ illi instruxisti muſieri.*

ſc. 12.

Tis egeat. *Quia tis egeat, quia te careat.*
Me occurſant. *Ita me occurſant.* ibid

ſc. 14.

Sed vt abeat *Omnia dat dono, ſe vt abeat.*
Id. *Id nos ad te, & ſi quid velles, venimus.* ibid.
Colos. *Is colos eſt thalaſſicus.* ibid.

ſcæ. 20.

Scelus vir. *Scelus vir Paleſtrio, is me hac illexit fraude.*
Has res. *Minus has res ſtudeant.* ibid.

Ex Plauti Mercatore.

Ex act. I. ſc. I.

Iam implicitus. *Sed eam vt ſim implicitus dicam.*
Præquam. *Nec pol profectò quiſquam ſine grandi malo præquam res patitur, ſtudet elegantiæ.* ibid.
Labos. *Iſte pariet lætitiam labos.* ibid.

Sc. 2.

Quod vti. *An boni quid vſquam eſt, quod quiſq; vti poſſit ſine malo omni.*
Nunciem ad te, *Tace modo, ſi quid boni ad te nunciem.* ibid.
Occucurrit. *Illicò occucurrit.* ibid.
Eluctaret. *Ne te opprimeret imprudentem, atque eluctaret.* ibid.

Ex act. 2. ſc. I.

Mercari mihi viſus ſum formoſam capram: ei ne noceret

noceret quam domi ante habui capram, neu discordarent, si ambo in vno essent loco. Capram noceretei. Amb capræ.
Ad me hœdus visus est aggredirier. ibid. Aggredirier.
Instare factum simiâ, atque hoc denique respondet. Simiâ instare. ibid.
Ego enim lugere atque illam abductam conqueri. Ego lugere. ibid.
Hinc abij mane cum luci simul. ibid. Cum luci.

Sc. 2.

Ei dono aduexe audini. Aduexe,

Ex act. 3. sc. 1.

De lanificio neminem metuo, vnâ ætate quæ sit. Neminem, quæ.

Sc. 2.

Dum potestur, Potestur.

Ex act. 4. Sc. 5.

Hera quem me misit ad patrem, non est domi. Quem non est domi.
Gradus grandit. ibid. Grandit

Ex actu. 5. Sc. 1.

Nubis ater imbérque instat. Nubis ater.

Ex Plauti Pseudolo.

Ex actu. 1. Sc. 3.

At. bat. At. bat.
Non licèt colloqui te. ibid. Colloqui te
Si extra teneam, vt porriciam. ibid. Porriciam.
Nimio id quod pudet facilius fertur, quàm illud quod piget. Quod pudet. Quod piget. ibid.
Ad eam rem vsus est hominem astutum. Hominem astutum. ibid.

Sc. 4.

Inueniam viginti minæ. *Viginti minæ, quæ nusquam nunc sunt, inueniam tamen.*

Ex act. 2. sc. 1.

Meos perduellis. *Facilè vt spoliem meos perduellis.*
Hunc. *Hunc, quem video, quis est?* ibid.

Sc. 3.

Copi pectore. *Me glorioſum faciam, & copi pectore.*

Ex act. 3. Scæ. 2.

Ipſos prærodat. *Ipſos ſibi faciam vt digitos prærodat ſuos.*
Scindidi. *Nam ego ciliendrum quando in patinam ſcindidi.* ibid.

Ex act. 4. sc. 2.

Harpagauit. *Nihil etiam dum harpagauit præter ſcyathum.*
Id angiportum. *In id angiportum me deuorti.* ibid.

Sc. 5.

Simonem veniat *Ego Simonem mihi obuiam veniat, velim.*

Sc. 7.

Die multum. *Vides iam die multum eſſe.*
Helleborum. *Helleborum hiſce hominibus opus eſt.* ibid.

Ex act. 5. sc. 1.

Adiungit ad labra. *Ad labra labella adiungit.*
Illos amantis &c. *Illos accubantis, potantis, amantis cum ſcortis reliqui.* ibid.
Poſiui. *Pallium illud poſiui.* ibid.

Ex Plauti Pœnulo.

Ex argumento.

Surpitur. *Puer ſeptuennis ſurpitur.*

Ex

Ex prologo.

Statim te obrepet fames. Obrepet.
Nomen dare vobis volo comœdiaī. ibid. Comœdiaī.

In alijs exemplaribus.

Nomen dare vobis volo comœdias. Comœdias.
Sui quæſti cauſſa. ibid. Quæſti.
Omnes meretrices, vbi quiſq; habitāt inuenit. ibid. Quiſque.
Is omnis linguas ſcit. ibid. Omnis.

Ex act. 1. ſc. 1.

Quid iſtuc tumulti eſt Milphio? Iſtuc Milphio.

Sc. 2.

Fricari aut tergeri. Tergeri.
Nos apud ædem Veneris mantæ. ibid. Mantæ.
Quæ tibi olant ſtabulum. ibid. Olant.
Ludos & delicias facis. ibid. Delicias.
Papauerem, triticum, & frictas nuces. ibid. Papauerē

Sc. 2.

Si iſtuc lepide effexis. Effexis.
Ne mea culpa mi o amori obiexim moram. ibid. Obiexim.

Ex actu. 2. Sc. 1.

Diuini atque humani æquum eſt credere. Diuini credere.

Ex actu. 3. Sc. 2.

Non potuiſti adducere homines magis ad hanc rem idoneos. Ad hanc rem idoneos.

Sc. 3.

Nec damus tibi neque pollicemus. Pollicemus.
Hunc chlamydatum, quem vides ei Mars iratus eſt. Chlamydatum. ibid.
A mani vt ad portum proceſſimus. ibid. A mani.

Nummos Philippeo. *Trecentos nummos Philippeo, portat præ ſibi.* ibid.

Vnguentum ecbeumatis. *Te replebo vſque vnguentum echeumatis.* ibid.

Exact. 4. Scæ. 1.

Quod. *Qui, quod amat caret.*

Sc. 2.

Perdeam. *Ne a te perdeam.*

Inſtat. *Tantum eum inſtat exitij.* ibid.

Hoc nocte. *Hoc nocte conſulendum.* ibid.

Ex act. 5. ſc. 2.

Dixe. *Ain' tu tibi dixe Syceraſtum?*

...uerent. *Patrem atquè matrem viuerent vellem tibi.* ibid.

...is ope- *Vteris, vt voles, operam meam.* ibid.

Sc. 3.

Ha... *Qui te proximus eſt.*

Id ...oximus ...cine. *Hæccine ſunt meæ filiæ?* ibid.

Sc. 4.

Per quem viuimus vitalem æuum.

Vitalem æuum. *O mi patrue patruiſſime.* ibid.

Patruiſſime. *Poſt hanc amabo, atque amplexabo.* ibid.

Amplexabo. *Me adlatrant canes.* ibid.

Me adlatrant. Sc. 5.

Nec quod edim, quisquam datur.

Edim. *Quid tibi hanc digito tactio eſt?* ibid.

Tactio hanc. Sc. 6.

Conradi poteſt trecentos Philippos. *Obſecro vt liceat ſimplum ſoluere, trecentos Philippos, credo conradi poteſt.*

Sc. 7.

Id ignoſcas. *Id vti ignoſcas quæſo.*

Ex

Ex Plauti Perſâ.

Ex act. 1. ſcæ. 1.

Des mihi nummos ſexcentos, quis pro capite illius pendam. Quis pendam.

Vix recipi poteſſit. ibid. Poteſſit.

Scæ. 2.

Vt æquâ parti prodeant ad tris viros. Parti æquâ.

Scæ. 3.

Longè ab Athenis eſſe ſe natam autumet. Ab Athenis.

Ex act. 2. ſc. 1.

Id tuus ſcatet animus. Id.

Eius auris, quæ mandata ſunt, onerabo. ibid. Auris onerabo.

Sc. 3.

Ibi mercatum dixit eſſe die ſeptimi. Die ſeptimi.

Hoc argentum alibi abutar. ibid. Argentum.

Tax, tax meo erit tergo. ibid. Tax.

Sc. 5.

Amicibor gloriosè. Amicibor.

Ex act. 3. Sc. 1.

Vænibis tu hodie virgo. Vænibis.

Vbi ad paupertatem immigrant infamiæ, grauior paupertas ſit. Infamiæ. ibid.

Sc. 4.

Ego patriam te rogo quæ ſit tua? Patriam.

Ipſus propè perditus eſt, & benevolentis perdidit. Benevolentis. ibid.

Sc. 6.

Auſpicaui. *Ego auſpicaui in hunc diem.*

Hunc collum. *Hunc in collum, niſi piget, impone.* ibid.

Ex act. 5. ſc. 1.

Oculus meus. *Amabo oculus meus cum in lectis nos actutum commodamus.*

Temperi. *Temperi. Mihi iſtuc temperi ſeroſt.* ibid.

Sc 2.

Attigas. *Caue ſis me attigas.*

Te condono. *Vtere, te condono.* ibid.

Ex Plauti Rudente.

Ex Prologo.

Apiſci. *Qui hic litem apiſci poſtulant periurio.*

Ibus. *Nauis confracta eſt ibus.* ibid.

Ex. act. 2. ſc. 2.

Harundines, qui pertegamus villam. *Quin tu in paludem is, exagitáſque harundines qui pertegamus villam.*

Deſiliunt. *Res ſalua deſiliunt.* ibid.

Sc. 3.

Laborem. *Laborem hunc potiri.*

Ex actu. 2. ſc. 1.

Hęc Harundines. *Atque hæc harundines ſunt nobis quæſtu & cultu.*

Sc. 3.

Anum quenquam. *Neque digniorem cenſeo vidiſſe anum me quenquam.*

Scx. 4.

Me abſtineas manum. *Potin' vt me abſtineas manum?*

Tibi

Tibi operam ludo & delicia dabo. ibid. Ludo & delicię.

Scæ. 6.

Quid mihi ſceleſto tibi erat auſcultatio? Auſcultatio tibi.

Dum lingua viuet, qui rem ſoluas omnibus. ibid. Lingua, quę.

Scæ. 7.

Tu vel ſuda, vel peri algu. Algu.

Ex act. 3. ſcænâ 1.

Videbatur ad me ſimia adgredirier. Adgredirier.

Scæ. 2.

Quid ſit quod tumultues. Tumultues.

Scæ. 4.

Exi è phano natum quantum eſt hominum ſacrilegiſſime. Natum.

Pendentem incurſabo. ibid. Pendentem.

Ficis victitamus aridis. ibid. Ficis aridis.

Ex act. 4. ſc. 2.

Piſcatu nouo me vberi compotiuit. Compotiuit.

Lucrum præpoſiui ſopori & quieti. ibid. Præpoſiui.

Scæna 3.

Non vides me referre vuidum retem ſine ſquamoſo pecu. Retem. Pecu.

Vidulum iſtum cuius eſt, noui ego hominem. ibid. Vidulum.

Ecquem eſſe dices in mari piſcem meum, quos cum capio &c. Piſcem quos. ibid.

Ni hunc amittis, exſugebo quicquid humoris tibi eſt. Exſugebo. ibid.

Hinc tu niſi malum fruiſci nihil potes. ibid. Fruiſci.

Sc. 6.

Omnia hîc licet. Omnia hîc licet.

Exact. 5. Sc. 1.

Extergeo, Tenuius, Indipiſcar. *Quanti magis extergeo, rutulum, atque tenuius ſit. Largiter mercedis indipiſcar.* ibid.

Ex Plauti Sticho.

Exact. 1. ſc. 1.

Ille pœnitet. *Neq; ille eos honores mihi, quos habuit pœnitet.*

Scæ. 2.

Datur ad virum. *Hoſtis eſt vxor, in vitâ quæ ad virum nuptum datur.*

Arbitrabunt. *Probiores quidem arbitrabunt, ſi probis narraueris.* ibid.

Exact. 2. ſcæ. 1.

Elephantum grauidam. *Solere elephantum grauidam perpetuos decem eſſe annos.*

Aduorſum it mihi. *Quis hæc eſt, quæ aduorſum it mihi?*

Scæ. 3.

Res omnis. *Res omnis relictas habeo, præ quod tu velis.*

Præ quod. Luci. *Me miſiſti ad portum cum luci ſimul.* ibid.

Percontamur. *Alius alium percontamur.* ibid.

Scæ. 4.

Partem vxuntur. *Poſticam partem magis vtuntur ædium.*

Scæ. 6.

Ad illum. Indipiſci de cibo. *Ad illum promittere. Senex quidem voluit, ſi poſcet indipiſci de cibo.*

Scæ. 7.

Hereditatem betat. *Tuam hæreditatem inhiat. Ne betat iube domi.* ibid.

Scæ. 11.

Scæ. 11.

Fac nos hilares hilariores. Hilares.

Ex Plauti Trinummo.

Sc. 3.

Rure dum ſum ego vnos ſex dies, me abſente, atq́ inſciente, inconſultu meo. Vnos ſex dies.

Dediſti ne hoc pacto ei gladium qui ſe occideret. Qui. ibid.

Hem meam auaritiam, hem mea malefacta. ibid. Hem auaritiam.

Sc. 4.

Si tu obijcias formicis papauerem. Papauerem.

Ex act. 3. Sc. 2.

Tibi, patérque, auóſque facilem fecit, & planam viam. Fecit.

Is eſt honos homini pudico. ibid. Honos.

Dormibo placidè in tabernaculo. ibid. Dormibo.

Sc. 4.

Quibus ærumnis deluctaui? Deluctaui.

Sc. 5.

Hàc noctu agitandæ ſunt vigiliæ: Hàc noctu.

Ergo ipſus ne es? ipſiſſimus. ibid. Ipſiſſimus.

Sc. 6.

Poſtquam thermopotâſti gutturem. Gutturem.

Inter eos ne homines condalium te redipiſci poſtulas? Redipiſci. ibid.

Scæ. 8.

Sc. 8.

Mille nummum. *Is mille nummum ſe aurum meo datu, tibi ferre, & gnato Leſbonico aiebat meo.*

Adlegatu. *Meo adlegatu venit.* ibid.

Ego ſum. Charmidem. *Illum, quem ementitus es, ego ſum Charmidē.* ibid.

Ex Plauti Truculento.

Ex Argumento.

Suppoſiuit. *Clam ſibi ſuppoſiuit clandeſtino editum.*

Ex act. 1. ſcæ. 1.

Alteri. *Sin alter alteri potitus eſt, itidem perit.*

Amantis. *Quod amantis multo peſſimum eſt pecuniæ.* ibid.

Scæ. 2.

Ibus. *Ibi eſt ibus pugna & virtuti, de prædonibus prædam capere.*

Rei malè gerentes. *Plerique idem quod tu facis, faciunt, rei malè gerentes.* ibid.

Fabulare. *Non dedici fabulare.* ibid.

Opperibor. *Ego interim te apud vos opperibor.* ibid.

Ex actu ſecundo, ſcænâ primâ.

Rei malegerentium. *Piaculum eſt miſereri nos hominum rei malegerentium.*

Tranſiliuit. *Per hortum tranſiliuit ad nos.* ibid.

Aggredias. *Hàc ſi aggredias.* ibid.

Sc. 2.

Coloris vlli. *Quaſi verò corpori reliqueris tuo poteſtatem coloris vlli capiendi.*

Nunquam

Nunquam Ædepol mihi quiſquam homo mortalis poſthac duarum rerum creduit. ibid. Duarum rerum creduit

Sc. 3.

Illum inhiant omnes, Illum inhiant.

Sc. 5.

Nullam rem oportet doloſè adgrediri. Adgrediri.

Sc. 6.

Quamobrem mea voluptas tibi obuenit labos iſte? Labos.

Quin etiam ſuperducas, quæ mihi comedint cibum. Comedint. ibid.

Cedo tu mihi puere pallulam. ibid. Puere.

Scæna 7.

Quid tibi huc ventio eſt? Quid ventio

Quid tibi hanc aditio eſt? ibid. Hanc aditio.

Quid tibi hanc notio eſt, inquam, amicam meam, Notio amicam. ibid.

Scæ. 10.

Rabonem habeto, vt mecum hâc nocte ſies. Rabonem.

Facio lucri ar. ibid. Ar.

Præneſtinis conia eſt ciconia. ibid. Coniæ.

Ex act. 2. ſc. 2.

Prome venuſtatem, amantiam, gaudia, copeis amores. Copeis amores.

Illis, quibus inuidetur, rem habent. ibid. Illis habent.

Tua probra aperibo omnia. ibid. Aperibo.

Sc. 3.

Iſtæ dedi. Iſtæ.

Quid illa cui donata eſt? Suppoſiuit. ibid. Suppoſiuit.

Sc.

Sc. 5.

Cibum.	*Puero opus est cibum.*	
Oleum.	*Oleum opus est.*	ibid.
Addibitur.	*Tuo arbitratu quod iubebis, addibitur.*	ibid.
Delitia.	*At ego ad te ibo. Ad me delitia?*	ibid.
Aliqui gaudeo.	*Es bella malo tuo, nisi tecum ego aliqui gaudeo.*	ibid.
Amplexarier.	*Hunccine hominem te amplexarier?*	ibid.
Pecua.	*Pecua ego ad hanc in crumina obligata defero.*	ibid.

Ex Terentij Andria.

Ex Prologo.

Fabulas placerent.	*Populo vt placerent, quas fecisset fabulas.*	
Operam abutitur.	*In prologis scribundis operam abutitur.*	ibid.
Comœdia spectandæ.	*Posthac quas faciet de integro comœdias, spectandæ an exigendæ vobis sint prius.*	ibid.

Ex act. 1. sc. 1.

Nuptias verè.	*Quas credis esse has, non sunt verè nuptiæ.*	
Prohibebant.	*Dum ætas, metus, magister prohibebant.*	ibid.
Dicere, laudare.	*Omnes omnia bona dicere, & laudare fortunas meas.*	ibid.
Perculsit.	*Perculsit illicò animum.*	ibid.
Mea Glycerium.	*Mea Glycerium inquit, quid agis?*	ibid.
Ego negare.	*Ego illud sedulò negare factum.*	ibid.
Id operam do.	*Et nunc id do operam.*	ibid.

Ex act. 2. sc. 2.

Ornati, tumulti.	*In ædibus nihil ornati, nihil tumulti.*	

Ex actu. 3. Sc. 4.

Nihil eſt preci loci relictum. Preci.

Sc. 5.

Vbi illic ſcelus eſt qui me perdidit? Scelus.
Tam iners, tàm nulli conſilij ſum. ibid. qui. Nulli conſilij.

Ex actu. 5. Sc. 3.

Domus, vxor, liberi inuenti, inuito patre. Inuenti.

Sc. 5.

Hunc ſcio, mea ſolidè ſolum gauiſurum gaudia. Gauiſurum gaudia.

Ex Terentij Eunucho.

Ex Prologo.

Habeo alia multa quæ nunc condonabitur. Quæ condonabitur.
Eas ſe non negat perſonas tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam. ibid. Eunuchum ſuam.

Ex actu. 1. Sc. 2.

Eunuchum porro dixti velle te, quia ſolæ his vtuntur reginæ. His.

Ex actu. 2. Sc. 1.

Ego quoque vna pereo, quod mihi eſt charius. Ego quod.
Nimis me indulgeo. ibid. Me indulgeo.
Adeon' homines immutarier ex amore, vt non cognoſcas eundem eſſe? ibid. Eundem.

Sc. 2.

Quid iſtuc ornati, inquam? Ornati.
Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt. ibid. Primos rerum.

Vide'n

Faciat. *Viden' ocium, & cibus quid faciat alienus?*

Ex act. 2. scæ. 3.

Illum senium, qui. *Vt illum dij, deæ senium perdant, qui me hodie remoratus est.*

Illarum quisquam. *Illarum neque quisquam te novit. nec scit, qui sies.* ibid.

Ex act. 3. sc. 1.

Thais agere *Magnas verò agere gratias Thais mihi?*

Inuidere. *Inuidere omnes mihi, mordere clanculum.* ibid.

Emoriri. *Risu omnes, qui aderant emoriri.* ibid.

Sc. 4.

Ipsa accumbere. *Ipsa accumbere mecum: mihi sese dare: sermonem quærere.*

Ex act. 4. sc. 1.

Illa irasci. *Illa continuo irasci, neque negare audere.*

Sc. 3.

Scelus ludificatus. *Scelus postquam ludificatus est virginem*

Nobis absente. *Nescio quid profectò nobis absente turbatum est domi.* ibid.

Eunuchum dedit turbas. *Eunuchum, quem dedisti nobis, quas turbas dedit.* ibid.

Sc. 4.

Nostrarum quisquam. *Hæc oculis suis nostrarum nunquam quisquam vidit Phædria.*

Ex actu. 5. sc. 4.

Quæ. *Quæ dum foris sunt, nihil videtur mundius.*

Sc. 9.

Me sim. *Scin' me in quibus sim gaudijs?*

Ex-

Ex Terentij Heautontimorumeno.

Ex act. 2. Scæ. 2. Eius annis.
Eius annis cauſſa, quæ nunc mortua eſt.
ſcæ. 4. Viro, hi.
Vobis, cum vno ſemel, vbi agere ætatem decretum eſt viro, cuius mos maximè eſt conſimilis veſtrum, hi ſe ad vos applicant.
Ex act. 3. ſc. 4. Functus officium.
Hominis frugi & temperantis functus officium eſt.
Ex act. 4. ſc. 1. Opperibor.
Hîc ego virum interea opperibor.
Sc. 7. Opperibere.
Tu hîc nos dum eximus opperibere.
Ex act. 5. Sc. 1. Veſtem, &c.
Sponſæ veſtem, aurum, ancillas opus eſſe.
Sc. 3. Scibis.
Aut ſcibis cuius ſit.

Ex Terentij Adelphis.

Ex Periochâ Sulpitij. De meâ ingare-
De meâ iurgare, & graviter ferre.
Potitur Cteſipho citharistriam. ibid. Citharistriam.
Ex Prologo. Iudicio.
Iudicio de ſe ipſe erit, vos eritis iudices. Synapothneſcontes.
Synapothneſcontes Diphili comœdia eſt. ibid.

Ex

Exact. 1. sc. 1.

Vestitu. *Vestitu nimio indulges.*

Interest. *Hoc pater, & dominus interest.* ibid.

Exact. 2. sc. 2.

Clanculum patres. *Clanculum patres, quæ faciunt.*

Neq; ego, neq; tu fecimus. *Hac si neq; ego, neque tu fecimus, non sinit egestas facere nos.* ibid.

Vterque Curemus. *Curemus æquam vterq; partem.* ibid.

Sc. 3.

Quiuis homine. *Abs quinis homine cum est opus beneficium accipere gaudeas.*

Exact. 3. scæ. 3.

Saluos Maiorum suum. *Saluos sit, spero similis est maiorum suum.*

Sc. 4.

Functus officium. *Neque boni, neque liberalis functus officium est viri.*

Vobis decet. *Hæc primum vt fiant, deos quæso, vt vobis decet.* ibid.

Exact. 4. scæ. 2.

Produxe. *Non tu eum rus hinc modò produxe, aiebas.*

Cliuos est. *Vbi eò veneris, cliuos deorsum, vorsum est.* ibid.

Ad Dianę. *Vbi ad Dianæ veneris, ito ad dextram.* ibid.

Sc. 4.

Aperite aliquis. *Aperite aliquis actutum ostium.*

Sc. 5.

Illam deductum. *Credebas dormienti hæc tibi confecturos deos, & illam sine tuâ operâ in cubiculum iri deductum domum?*

Sc.

Sc. 7.

Meretrix, & mater familias erit vna in domo. Eric.

Ex act. 5. sc. 3.

Principio, si te mordet sumptum filij quem faciunt. Sumptum mordet.

Sc. 4.

Nulli lædere os, arridere omnibus. Lædere. Arridere.
Patria potitur commoda. ibid. Potitur commoda.
Illum vt viuat, optant. ibid. Illum viuat.
Hic potitur gaudia. ibid. Potitur gaudia.

Sc. 8.

Imò hercle ita nobis decet. Nobis decet
Idne estis authores mihi? ibid. Authores id

Ex Terentij Hecyra.

Ex act. 1. scæ. 2.

Sed videon' ego Philotium? Philotis salue multùm. Philotium
Ille primo se negare. ibid. Philotis. Ille negare.
At te dij deæque perduint. ibid. Ibid.
Nocte illa prima virginem non attigit; quæ consecuta est nox, eam nihilo magis. ibid. Nox.
Fugere è conspectu illico videre nolle: ibid. Fugere &c.

Ex actu. 3. Sc. 1.

Qui eos gubernat animus, infirmum gerunt. Animus.

Sc. 2.

Quid fuit tumulti? dic mihi: Tumulti.

Sc. 3.

Clampatrem. *Vt clam partus eueniat patrem, atque adeò omnes.*

Sc. 5.

Seruibo. *Matris seruibo commodis.*

Ex act. 4. sc. 1.

Quicum. *Quicum tot consuescat annos.*

Ex act. 5. scæ. 3.

Simulare. *Ille alias res agere, se simulare.*

Quæsti gratia. *Nunquam animum quæsti gratia ad malas adducam partes.* ibid.

Ex Terentij Phormione.

Fabulas. *Magis placerent quas feciſſet fabulas.*

Ex act. 1. scæ. 2.

Præſto eſt. *Si quis me quæret rufus. Præſto eſt.*

Nos miratier. *Nos miratier: rogamus quid ſit.* ibid.

Paupertas viſum eſt onus *Nunquam æquè, inquit, ac modò paupertas mihi onus viſum eſt, & miſerum, & graue.* ibid.

Hic vicinię. *Modò quandam vidi virginem hic vicinię.* ibid.

Commorat. *Commorat omnes nos.* ibid.

Noſter neſcire. *Noſter quid ageret neſcire.* ibid.

Sc. 3.

Eius aduentum. *Vbi in mentem eius aduenti venit.*

Scæ. 5

Functus officium. *Functus adoleſcentuli eſt officium liberalis.*

Ex actu. 2. sc. 1.

Phanium relictam *Phanium relictam ſolam?* ibid.

Sc. 3.

Patrem. *Neque eius ſe patrem ſcire quis fuerit.*

Sulphonem. *Nec Stilphonem ipſum ſcire quis fuerit.* ibid.

Ciuem item vt meretricem vbi abusus sis, mercedem dare lex iubet ei, atque amittere. ibid. Abusus ciuem

Ex act. 3. sc. 3.

Vt nullus locus relinquatur preci. Preci.

Ex act. 4. scæ. 5.

Ego curabo ne quid verborum duint. Duint.

Ex act. 5. sc. 1.

Nemo ex me scibit. Scibit.

Sc 8.

Argentum quod habes, condonamus te. Condonamus te.

Nec huius sis veritus fœminæ primariæ. ibid. Veritus

Malum quod isti dij deæque omnes duint. ibid. fœminę. Duint.

Impurum vide quantum valet. ibid. Impurum.

Sc. 9.

Mi homo, dij melius duint. Duint.

Haccine erant itiones crebræ, & mansiones diutinæ. ibid. Hęccine.

Nihil pudere? Quo ore illum obiurgabis? ibid. Nihil pudere

Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam Nauisiſtrata, & quod tuo viro oculi doleant? ibid. Quod

Ex Virgilio.

Ex Ecloga prima.

——— quo sæpe solemus Pastores ouium teneros depellere fœtus. Pastores solemus.

Ex Ecloga secunda.

Amphion Dircæus in Actæo Aracintho. Actæo Aracintho.

Eheu. *Eheu quid volui misero mihi? floribus Austrum.* ibid.

Te Alexi. *Te Coridon ô Alexi; trahit sua quemque voluptas.* ibid.

Ex Ecloga tertiâ.

Pecori &c. *Et succus pecori, & lac subducitur agnis.*

Arcus & calamos quæ &. *——cum Daphnidis arcum*
Fregisti, & calamos quæ tu peruerse Menalca,
Et cum vidisti puero donata dolebas. ibid.

Vale, vale, inquit. *Et longum formose vale, vale, inquit Iola,* ibid.

Triste lupus. *Triste lupus stabulis maturis frugibus imbres.* ibid.

Dulce humor. *Dulce satis humor depulsis arbutus hœdis.* ibid.

Reijce capellas. *Tityr: pascentes à flumine reijce cãpellas.* ibid.

Eheu. *Eheu quàm pingui macer est mihi taurus in arno.* ibid.

Ex Ecloga quarta.

Tulerunt *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.*

Ex Ecloga sexta.

Nec tantum Rhodope miratur, & Ismarus Orphea.

Orphea. Hyla, hyla &c. *Clamassent, vt luttus Hyla, Hyla omne sonaret.* ibid.

Ex Ecloga septima.

Iuniperi, &c. *Stant & Iuniperi, & castaneæ hirsutæ.*

Ex

Ex Ecloga octaua.

Iungentur iam gryphes equis, auóque sequenti. Gryphes.
Vt vidi, vt perij, vt me malus abstulit error. ibid. Perij vt.
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes. ibid. Rhodope aut.
Nocte Amarylli nodos, & Veneris dic vincula necto. ibid. Nodos &c.
Credimus? An qui amãt, ipsi sibi somnia fingunt. ib. Qui amant.

Ex Ecloga decima.

Vlla moram fecere; neque Aonia Aganippe. Aonia Aganippe.

Ex primo libro Georgicorum.

Pleiadas, Hyadas clarámque Lycaonis Arcton. Pleiadas.
Lappæque, tribulíque; inter nitentia culta. ibid. Lappęque.
——— *Sic omnia fatis*
In peius ruere, ac retro sublapsa referri. ibid. Ruere. Referri.
Libra die, somníque pares vbi fecerat horas. ibid. Die.
Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur. ibid. Eoę abscondantur.
Caúmque Iapetúmque creat, sæuúmque Typhoëa. ibid. Typhoëa.
Ter sunt conati imponere Pelio Ossam. ibid. Conati Pelio.
Aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem. ibid. Humorem.
Æstúsque, pluuiásque & agentes frigora ventos. ibid. Æstúsque.
Euríque, Zephyríque tonat domus; omnia plenis. ibid. Eurique.
Tenuiã nec lanæ per cœlum vellera ferri. ibid. Tenuia.

Glauco, Panopeæ. *Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.* ibid.

Feruere. *Feruere: non illa quisquam me nocte per altum.* ibid.

Efferuere. *Signa dabant, quoties Cyclopum efferuere in agros.* ibid.

Fluuiorum. *Flŭŭiorum rex Eridanus: campósque per omnes.* ibid.

Ex secundo libro Georgicorum.

Grauidus. *Muneribus: tibi pampineo grauidus Autumno.*

Horrida. *Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida.* ibid.

Radij. *Orchites, & radij, & amara pausia bacca.* ibid.

Tenuia. *Velleráque vt foliis depectant tĕnŭĭa Seres.* ibid.

Miscuerunt. *Miscŭĕruntque herbas, & non innoxia verba.* ibid.

Tenuis vbi. *Tĕnŭis ŭbi argilla, & duracosis calculus arui.* ibid.

Cupressósq; *Nauigijs pinos, domibus cedrósque cupressósque.* ibid.

Alueo. *Corticibúsque cauis, vitiosæque ilicis alueo.* ibid.

Bacchata. *Sperchiúsque, & virginibus bacchata Lacænis.* ibid.

Ex tertio libro Georgicorum.

Quadrijugos. *Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.* ibid.

Æta

Ætas Lucinam, iustósque pati Hymenæos. ibid. Pati.
Arcebis grauido pecori, armentáq; pasces. ibid. Pecori.
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit. ibid. Ingreditur.
Martis equi biuges, & magni currus Achillis. Bijuges. ibid.
Vulneribus crebris, lauit ater corpora sanguis. Lauit. ibid.
Omne adeo genus in terris hominúmque ferarúmque. Ferarúmque. ibid.
Saxa per, & scopulos, & depressas conualles. ibid. Versus spondaicus.
Armáque, Amyclæúmque canem, Cressámque Pharetram. Armáque. ibid.
Otia agunt terra: congestáque robora, totásque. Totásque. ibid.
Lappæque, tribulíque absint: fuge pabula læta. Lappæque. ibid.
Reyce: ne maculis infuscet vellera fuscis. ibid. Reijce.

Ex quarto libro Georgicorum.

Nequicquam in tectis certatim tĕnŭiă cera. Tenuia.
(Nam duo sunt genera) hic melior, insignis & ore. Melior. ibid.
Namque aliæ victu inuigilant, & fœdere pacto. Victu. ibid.
Crura thymo plenæ, pascuntur & arbuta passim. Plenæ crura. ibid.
Quod neque concubitu indulgent. —— ibid. Concubitu.

Centaurea. *Cecropiúmq; thymum, & graue olentia centaurea.* ibid.

Parietibúſque. *Parietibúſq; premunt arctis, & quattuor addunt.* ibid.

Drymóque. *Drymóque, Zanthóque, Legeáque, Phyllodocéque.*

Neſæeque. *Neſæéq;, Spioq;, Thaliáq;, Cymmodoceq;.* ibid.

Clióque. *Clióq; & Beroe ſoror, Oceanitides ambæ.* ibid.

Deiopea. *Atq; Ephyre, atq; opis, atq; Aſia Deïopea.* ibid.

Chao. *Atq; Chao denſis diuum numerabat amores.* ibid.

Pars onerant. *Pars epulis onerant menſas,* ibid.

Veneramur. *——Hunc & Nymphæ veneramur & ipſe.* ibid.

Grandæuus Nereus. —— ibid.

Rhodopeiæ. *Implerunt montes: flerunt Rhodopeïæ arces.* ibid.

Orythyia. *Atq; Getæ, atq; Hebrus, atque Arctias Orythyia.* ibid.

Nocturnáque. *Inter ſacra deum, nocturnáque Orgia Bacchi.* ibid.

Strideræ. *Stridere apes vtero, & ruptis efferuere coſtis.* ibid.

Ex primo libro Æneidos.

Repoſtum. *—— Manet alta mente repoſtum*

Iudicium Paridis, ſpretæq; iniuria formæ. ibid.

Achilli Admixus. *Troas, reliquias Danaum, atq; immitis Achilli.* ib.

Cymothoe, ſimul & Triton admixus acuto. ibid.

Detrudunt. *Detrudunt naues ſcopulo.* —— ibid.

Pars ſecant *Pars in fruſtra ſecant, verubúſq; tremẽtia figunt.* ib.

Acris Oronti. *Præcipue pius Æneas, nunc acris Oronti.* ibid.

Nunc Amycli caſum gemit. ——

Fontem ſuperare Timaui. ——— Timauũ.
Hîc tamen ille vrbem Pataui, ſedéſque locauit. ibid. Vrbem Pataui.
Parce metu Cytherea. ——— ibid. Cytherea.
Iactemur, doceas, ignarı hominúmque locorúmque. ibid. Locorúmque.
Et vera inceſſu patuit dea: ille vbi matrem. ibid. Dea.
——— *Pars ducere muros* ibid. Pars ducere.
Molirique arcem, & manibus ſubuoluere ſaxa. ibid. Moliri, &c.
Pars aptare locum tecto, & concludere ſulco. ibid. Pars aptare.
Ærea cui gradibus ſurgebant limina, nexæque. ibid. Nexæque.
Vrbem, quam ſtatuo, veſtra eſt. ibid. Vrbem eſt.
Os, humerósque deo ſimilis. ibid. Os ſimilis.
Tún' ille Æneas, quem Dardanio Anchiſæ. ibid. Dardanio.
Atria: dependent lychni laquearibus aureis. ibid. Aureis.

Ex libro ſecundo Æneidos.

Myrmidonum, Dolopúmue, aut duri miles Vlyſſi. Duri Vlyſſi.
Ædificant, ſectáque intexunt abiete coſtas. ibid. Abiete.
Pars ſtupet innuptæ donum exitiale Mineruæ. ibid. Stupet, mirantur.
Et molem mirantur equi. ———
Inſpecturáque domos, venturáque deſuper vrbi. ibid. Vrbi.
Ecce manus iuuenem interea poſt terga reuinctum. ibid. Reuinctum manus.

Ad Argos. *Si patrios vnquam remeaſſem victor ad Argos.* ibid.

Sacra parari. *Mihi ſacra parari,* —— ibid.

Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ. ibid.

Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri ibid.

Spes fluere, &c. *Spes Danaum:* ——

Suffecti oculos. *Ardentéſque oculos ſuffecti ſanguine, & igni.* ibid.

Pars ſcandunt. —— *Pars ingentem formidine turpi* ibid.

Scandunt rurſus equum &c. ibid.

Diuellimur. ——— *Diuellimur inde* ibid.

Iphitus & Pelias mecum, ———

Pariétibus. *Hærent parietibus ſcalæ, poſtéſque ſub ipſos.* ibid.

ariete. *Cuſtodes ſufferre valent, labat ariete crebro.* ibid.

Cingitur ferrum. *Circundat nequicquam humeris, & inutile ferrum*
Cingitur. ——— ibid.

——— *Satis vna, ſupérque* ibid.

Vna excidia. *Vidimus excidia.* ——

Deorúmq;. *Quem non incuſaui amens, hominúmque, deorúmque.* ibid.

Stetérúntque. *Obſtupui, ſteterúntque comæ, & vox faucibus hæſit.* ibid.

Ex libro tertio Æneidos.

Matri, &, &c. *Nereidum matri, & Neptuno Ægæo.*

Liminaque. *Liminaque, laurúſque Dei, totúſque moueri.* ibid.

Tum

——*Tum ſteriles exurere ſirius agros.* ibid. Sirius exurere
Inſulæ Ionio in magno, quas dira Celæno. ibid. Inſulæ, Ionio, &c.
—— *Celſam Buthroti aſcendimus vrbem.* ibid. Vrbem Buthroti.
Aulaï in medio libabant pocula Baccho. ibid. Aulaï
Dono dehinc auro grauia, ſectóque elephanto. ibid. Grauia
Luminis effoſſi fluidum lauit inde cruorem. ibid. Lauit.

Ex libro quinto Æneidos.

Hoc puer Aſcanius; ſequitur quos cætera pubes. ibid. Aſcanius, quos.
—— *Pars & certare parati.* ibid. Pars parati.
Centauro inuehitur magna. ibid. Centauro magna.
Sergeſto, Mneſtheóque, Gyan ſuperare morantem. ibid. Mneſtheóq;
Victor apud rapidum Simoenta, ſub Ilio alto. ibid. Ilio alto.
Quæ finis ſtandi? Quo me decet vſque teneri. ibid. Quæ finis Standi.
Et magnos membrorum artus, magna oſſa, lacertóſque. ibid. Lacertóſque.
Gĕnuà *labant, vaſtos quatit æger anhelitus artus.* ibid. Genua labant
Păriĕtĭbus *textum cæcis iter, ancipitémque.* ibid. Parietibus.
Tranſtra per, & remos, & pictas ăbĭĕtĕ puppes. ibid. Abiete.

Ex libro quarto Æneidos.

Cretéſq; Dryopéſq; fremunt, pictíque Agathyrſi. Cretéſque.

Quóſ-

Feruere. *Quóſque dabat gemitus, quum litora feruere latè.* ibid.

Omnia ſimilis, &c. *Omnia Mercurio ſimilis vocémque colorémq;.* ibid.

Fœmina varium. *Eia age rumpe moras, varium & mutabile ſemper Fœmina.* ——— ibid.

Extinxem. *Cum genere extinxem, memet ſuper ipſa dediſſem.* ibid.

Ex libro ſexto Æneidos.

Ferreíque. *Ferreíque Eumenidum thalami, & diſcordia demens.*

Alueo. *Deturbat, laxátq; foros; ſimul accipit alueo.* ibid.

Pars vertere. ——— *Pars vertere terga.* ibid.

Pars tollere. ——— *Pars tollere vocem Exiguam.* ——— ibid.

Pubes deiecti, &c. *Hìc genus antiquum terræ, Titania pubes Fulmine deiecti, fundo voluuntur in imo.* ibid.

Illius ergô *Illius ergô Venimus.* ——— ibid.

Quiſque patimur. *Quiſque ſuos patimur manes.* ibid.

Aurai. *Ætherium ſenſum, atque auraï ſimplicis ignem.* ibid.

Fulgere. *Illæ autem paribus quas fulgẽre cernis in armis.* ibid.

Sanguis meus. *Proiyce tela manu, ſanguis meus.*

Ex libro ſeptimo Æneidos.

Latinorum, *Iámque iter emenſi, turres ac tecta Latinorum.*

Hæ ſacris ſedes epulis; hic ăriete cæſo. ibid. Ariete.
Spiculáque clypeiq; ereptáque roſtra carinis. ibid.
——*Furit intus aquai* Aquai.
Fumidus atque altè ſpumis exuberat amnis.
——*Cæſóſque reportant* Cæſos Almonem Pu-
Almonem puerum, fœdatíque ora Galeſi. ibid. erum, &c.
Centum ærei claudunt vectes, æternáque ferri. Ærei.
ibid.
——*pars arduus altis* Pars arduus
Puluerulentus equis furit. ibid.
Ardea, Cruſtumerique, & turrigera Antemnæ. Turrigeræ.
ibid.

Ex libro octauo Æneidos.

Rege ſub Euryſtheo, fatis Iunonis iniquæ. Eryſtheo.
Vulcanum alloquitur, thalamóque hæc coniugis au- Aureo.
reo. ibid.
Brontéſque, Steropéſque, & nudus membra Pyrac- Brontéſque.
mon. ibid.
Qualis eram quum primam aciem Prænæſte ſub Sub ipſa
ipſa. ibid. Prænęſte
Incluſere cani, & nigra nemus ăbiete cingunt. Abieto
ibid.
Feruere Leucaten, auroq; effulgere fluctus. ibid. Feruere
Effulgere.

Ex libro nono Æneidos.

——*Sequar omnia tanta*

Quiſquis

Quisquis in arma vocas.——

Pictaï — *Diues equum, diues pictaï vestis & auri.* ibid.

Telã, — *Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros.* ibid.

Tui, audentior — *Hanc sine me spem ferre tui; audentior ibo.* ibid.

Me, me, adsum. — *Me, me, adsum qui feci: in me conuertite ferrum.* ibid.

Fœmineo vlulatu — *Euolat infœlix, & fœmineo vlulatu.* ibid.

Venatu inuigilant — *Venatu inuigilant pueri, syluáque fatigant.* ibid.

Abietibus — *Abietibus iuuenes patrijs, & montibus æquos.* ibid.

Itala cornus — —— *Volat Itala cornus* ibid.

Aera per tenerum.——

Noemonáque — *Alcandrúmque, Haliúmque, Noemonáque, Prytanímque.* ibid.

Ex libro decimo Æneidos.

Aureo — *Hic finis fandi, solio tum Iuppiter aureo.*

Menestheo — *Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo.* ibid.

Ea videri — *At Rutilo regi, ducíque ea mira videri* ibid.

Ausonijs.——

Nomen — *Per ducis Euandri nomen enitáque bella.* ibid.

Tymbre caput — *Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis.* ibid.

Reijcit — *Sic ait; atque oculos Rutulorum reijcit aruis.* ibid.

Balthei. — *Examinum, rapiens immania pondera balthei.* ibid.

Cœlúmque. — *Sternitur infelix alieno vulnere, cœlúmq;.* ibid.

Amor. — *Et furijs agitatus amor, & conscia virtus.* ibid.

Clamore

Clamore incendunt cœlum Troéſque, Latinique. Latinique.
ibid.

Ex libro vndecimo Æneidos.

Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum. Tropheum.
Seruabat ſenior, qui Parrhaſio Euandro. ibid. Parrhaſio &c.
Hæc mea magna fides: at non Euandre pudendis. Euandre.
ibid.
Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi. ibid. Languentis.
Vixet, cui vitam deus, aut ſua dextra dediſſet: Vixet.
ibid.
Iuſtitiæne prius mirer, belline laborum! ibid. Iuſtitiene.
Iam pater Æneas, iam curuo in litore Tarchon. Æneas.
ibid. Tarchon
Conſtituere pyras; huc corpora quiſque ſuorum Conſtituere.
More tulere patrum. ——— quiſq; tulere.
Subſtiterat; ſubito erumpunt clamore, frementé q; Frementéſq;
ibid.
Reijciunt parmas, & equos ad mœnia vertunt. Reijciunt.
ibid.
Aduerſi longa tranſuerberat ăbiĕtĕ pectus. ibid. Abiĕtĕ.
Ariĕtăt in portas, & duros obice poſtes, ibid. Ariĕtăt.

Ex libro duodecimo Æneidos.

Congredior; fer ſacra pater, & concipe fœdus. Pater.
Enſemque, clypeumque & rubra cornua criſtæ. Enſémque
ibid.

Fontéſque *Fontéſq; fluuióſq; voco, quæq; ætheris alti.* ibid.

Chloreáque. *Chloreáque, Sabarímq;, Daretáq;, Therſilochúmque.* ibid.

Antheúſque. *Antheúſque, Mneſtheúſque ruunt; omníſque relictis.* ibid.

Hilo *Illeruenti Hilo, animúſque immane frementi.* ibid.

Viros &. *Inter ſe coyſſe viros, & decernere ferro.* ibid.

Genualabant. *Genũa labant; gelidus concreuit frigore vulnus.* ibid

Athos. *Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipſe coruſcis.* ibid.

Ex Virgilij Ciri.

Erychthei. *Ipſe Cratinei matrem; ſed ſiue Erichthei.*

Per j. *Vt vidi, vt perij! vt me malus abſtulit error.* ibid.

Matri, & *Nerc idum matri, & Neptuno Agæo.* ibid.

Aciem. *Crura, nouámque aciem obduxit ſqualllida pellis.*

Ex Virgilij Moreto.

Abicit. *Spargit humi, atq; abicit; ſeruatum gramine bulbum.*

Ex Ætna, ſiue Cornelij Seueri, ſiue Quintilij Vari.

Flebile Pergamon. *Miramur Troiæ cineres, & flebile victis Pergamon.*

Ex

Ex Lucretio.

Ex libro primo de rerum naturâ.

Significant initium perculſa corda tuâ vi. ibid. Initium.
Effice, vt interea fera mœnera militiaï. ibid. Mœnera militiaï.
Reficit, æterno deuinctus volnere amoris. ibid. Reficit
Nam neque nos agere hoc, patriaï tempore iniquo. ibid. Patriaï.
Appellare ſuemus, & hæc eadem vſurpare. ibid. Eadem.
Naturæ primus portarum clauſtra cupiret: ibid. Cupiret.
Quanam ſit ratione, atque alitè terminus hæreat. ibid. Hæreat.
Endogredi ſceleris: quod contra ſæpiùs olim. ibid. Endogredi
Aulide, quo pacto Triuiaï virginis aram ibid. Triuiaï.
Iphianaſſaï turparunt ſanguine fœdè. ibid. Iphianaſſaï
Et meritò. nam ſi certam finem eſſe viderent. ibid. Certam finem.
Ignoratur enim quæ ſit natura animaï. ibid. Animaï.
Nam ſi de nihilo fierent: ex omnibus rebus. ibid. Omnibus rebus.
Nam fierent iuuenes ſubitò ex infantibus paruis. ibid. Infantibus paruis.
Culta loca, & manibus meliores reddi fœtus. ibid. Reddi.
Terraïque ſolum ſubigentes, cimus ad ortus. ibid. Terraïque.
Haud igitur poſſunt ad nihilum quæque reuerti. ibid. Nihilum.
Inter ſe nexus, minus, aut magis endopedita. ibid. Endopedita.
Diſcidio redeunt in corpore materiaï. ibid. Materiaï.
In gremium matris terraï præcipitauit. ibid. Terraï.

Aliud. *Quando aliud ex alio reficit natura; nec vllam.* ibid.

Nauis. *Ingentiſque ruit nauis, & nubila differt.* ibid.

Aquai. *Montibus ex altis magnus decurſus aquaï.* ibid.

Aquai. *Nec validis poſſunt pontes venientis aquaï.* ibid.

Suemus. *Vſurpare oculis: nec voces cernere ſuemus.* ibid.

Aquai. *At neque quo pacto perſederit humor aquaï.* ibid.

Corporum. *Res poſſent, namque officium quod corporum extat.* ibid.

Corporum. *Corporum in plumbo eſt; tantundem perdere par eſt.* ibid.

Corporum. *At contra grauius, plus in ſe corporum eſſe.* ibid.

Initio. *Vnde initium primum capiat res quaque mouendi.* ibid.

Ferai. *Namque canes vt montiuaga perſæpe feraï.* ibid.

Inſtiterunt. *Cum ſemel inſtiterunt veſtigia certa viaï.* ibid.

Viai. *Sic aliud ex alio per te tute ipſe videre.* ibid.

Aliud. Fontibus. *Vſq; adeo largos hauſtus de fontibus magnis.* ibid.

Vitai. *Serpat, & in nobis vitaï clauſtra reſoluat.* ibid.

Corporum. *Corporum augebat numerum, ſummámq; ſequetur.* ibid.

Ignibus. *Pondus vti ſaxis, calor ignibus, liquor aquaï.* ibid.

Aquaï. Rebus. *Namque aliud rebus, aliud regionibus ipſis.* ibid.

Corporum. *Corporum, atq; loci res in quo quaque gerantur.* ibid.

Materiai. *Id porro nihil eſſe poteſt, niſi materiaï.* ibid.

Materiai. *Frangendis rebus; iam corpora materiaï.* ibid.

Nunquam relicuo reparari tempore poſſet. ibid. Reliquo.
Huc accedit, vti, ſolidiſſima materiai. ibid. Materiai. Naturai.
Et quid quæque queant per fœdera naturaï ibid. Paruiſſima.
Præterea niſi erit minimum: paruiſſima quæque. ibid.
Ardua dum metuunt, amittunt vera viaï. ibid. Viaï.
Italiæ terraï oras à finibus eius. ibid. Terraï.
Ad cælúmque ferant flammaï fulgura rurſum. ibid. Flammaï.
Ne tibi res redeant ad nihilum ſurſum omnes. ibid. Nihilum.
Imbribus, & tabe nimborum arbuſta vacillant. ibid. Nimborum. producitur (m)finale.
Viſceribus viſcus gigni, ſanguíque creari. ibid. Sanguen.
Sanguinis inter ſe multis coeuntibus guttis. ibid. Coeuntibus.
Donec flammaï fulſerunt flore coacto. ibid. Flammaï. Materiaï.
Si fieri non poſſe putas, quin Materiaï. ibid.
Nec me animi fallit, quam ſint obſcura; ſed acri. ibid. Animi.
Nunc age ſummaï ecquænam ſit finis eorum. ibid. Summaï.
Nam ſine eſt aliquid quod prohibeat, officiátque. ibid. Prohibeat
Sine foras fertur, non eſt ea finis profecto. ibid. Ea finis
Exiguum poſſent horaï ſiſtere tempus. ibid. Horaï
Principijs rerum ſpatium tempúſque fugaï, ibid. Fugaï.
Et ſimili ratione animalia ſubtus vagari. ibid. Subtus.

Ex libro ſecundo de rerum natura.

Nihil bone. *Sed nihil dulcius eſt bone quam munita tenere.*

Semotus *Iucundo ſenſu, cura ſemotus, metúque?* ibid.

Pupureai *Nec clarum veſtis ſplendorem purpureaï.* ibid.

Feruere. *Feruere cùm videas, claſſem latéque vagari.* ibid.

Reij. *Cuius, vti memoro, reij ſimulachrum, & imago.* ibid.

Notitiai. *Exemplare dare, & veſtigia notitiaï.* ibid.

Omnibus *Conſtituiſſe deos cùm fingunt; omnibus rebus.* ibid.

Magis. *Reſpuat humor aquæ? Nam quam magis merſimus alte* ibid.

Tenuis. *Propterea, quia corpus aquæ, naturáq; tenuis.* ibid.

Fluuidum. *Nam quod fluuidum eſt, è leuibus atque rotundis.* ibid.

Reicere. *Reicere in terras naturam, multáque cæcis.* ibid.

Refert. *Præterea, magni quod refert, ſemina quæque.* ibid.

Vnæ. *Efficitur quiddam quadratum, vnæque figuræ.* ibid.

Clariſſimus. *Purpura, pœniciúſque color clariſſimus multo.* ibid.

Referre. *Referre in quali ſint ordine quæque locata.* ibid.

Referre. *Sed magni referre, ea primum quantula conſtent.* ibid.

Similia. *Aut ſimilia totis animalibus eſſe putari.* ibid.

Nam

Nam tibi vehementer noua res molitur ad aureis. ibid. Vehementer.

Principio, quod non minùs fiat mirabile cunctis. ibid. Minus fiat.

Endo manu validas potis eſt moderanter habenas. ibid. Endo.

Nec facilè in venas cibus omnis diditur eij. ibid. Eij.

Ex libro tertio, de rerum naturâ.

Et nigras mactant pecudes, & manibus diuis. ibid. Manibus.

Refugiſſe volunt longè, longéq; remoſſe. ibid. Refugiſſe.

Intereunt partim ſtatuaï, & nominis ergô. ibid. Remaſſe. Statuaï.

Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiaï. ibid. Amicitiaï.

Rumpere, & in ſumma, pietatem euertere funditus. ibid. Funditus.

Prodiderunt, vitare Acheruſia templa petentes. ibid. Prodiderunt.

Tranſtulerunt, proprio quæ tum res nomine egebat. ibid. Tranſtulerunt.

Lætitiáque viget: cum cætera pars animaï. ibid. Animaï.

Verum vbi vehementi magis eſt commota metu mens. ibid. Vehementi.

Caligare oculos, ſonere aureis, ſuccidere artus. ibid. Sonere.

Namque mouetur aqua, & tantillo momine fluctuat. ibid. Fluctuat.

Namque Papauerum, aura poteſt ſuſpenſa, leuiſq; ibid. Papauerum.

Paruissima. *Nenu potest, igitur paruissima corpora proquam.* ibid.

Putandum. *Nec tamen hæc simplex nobis natura putandum est.* ibid.

Tenuis enim. *Tenuis enim quædam moribundos deserit aura.* ibid.

Initium. *Vis, initium motus abs se quæ diuidit ollis.* ibid.

Irai. *Nec nimis irai fax vnquam subdita percit.* ibid.

Conflictatur. *Sed communibus inter eos conflictatur vtrinque.* ibid.

Tenuia. *Nec nebulam noctu, nec aranei tenuia fila.* ibid.

Viuata. *Incolumis stat cernendi viuata potestas.* ibid.

Omnibus. *Cum semel ex omnibus membris ablata recessit.* ibid.

Tenuis. *Corpore; sic animi sequitur sententia tenuis.* ibid.

Spumantes. *Turbat agens animam; spumantes vt in æquore salso.* ibid.

Adoritur. *Commutare animum quicunque adoritur & infit.* ibid.

Algo. *Sollicitæ volitant morbis, algóque, faméq;.* ibid.

Dolus. *Seminium sequitur; dolus vulpibus, & fuga ceruis.* ibid.

Sonere. *Scire licet non syncerum sonere; atque subesse.* ibid.

Priuatus. *Quod superest cunctis priuatus doloribus ægris.* ibid.

Torreat. *Quod sitis exurat miseros, atque arida torreat.* ibid.

Aliæ rei *Aut aliæ cuius desiderium insideat rei.* ibid.

Consequitur

Conſequitur lato, nec quiſquam expergitus exſtat. ibid. Expergitus.
Nec minus ergo ante, hæc quam cecidere cadént-que. ibid. Cecidere.
Sic aliud ex alio nunquam deſiſtet oriri. ibid. Aliud.
Carcer, & horribilis de ſaxo iactus deorſum. ibid. Iactus.
Lumina ſic oculis etiam bonus Ancus reliquit. ibid. Ancus.
Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt. ibid. Occiderunt.
Ac pedibus ſalſas docuit ſuperire lacunas. ibid. Superire.
Oſſa dedit terræ, proinde ac famul infimus eſſet. ibid. Proinde.
Sceptra potitus, eadem alijs ſopitus quiete eſt. ibid. Sceptra Sopitus.
Sed dum abeſt quod auemus, id exuperare videtur. ibid. Dum.

Ex libro quarto, de rerum naturâ.

Abſinthij laticem, deceptáque non capiatur. Abſinthij.
Excierunt, ne fortè animas Acheronte reamur. ibid. Excierunt.
In ſua diſceſſum dederunt primordia quæque. ibid. Dederunt.
Quam quæ tenuia ſunt, oſtendi eſt nulla poteſtas. ibid. Tenuia.
Et multo citius, quanto minus endopediri. ibid. Endopediri.
Nam certe iacier ac tergeri multa videmus. ibid. Iacier. Tergeri.
Et ferruginea, cum magnis intenta theatris. ibid. Magnis.

Fluitant. *Per malos volgata, trabéſque trementia fluitant.* ibid.

Caueai. *Namq; ibi conſeſſum caueai ſubter, & omnem.* ibid.

Scenai. *Scenai ſpeciem patrum, matrúmque Deorúmque.* ibid.

Tenueis. *Mittunt, effigias quoq; debent mitterẽ tẽnũeis.* ibid.

Magis. *Sed magis vniuorſum, fieriq; perinde videmus.* ibid.

Reddit. *Inde retrorſum reddit, & conuertit eodem.* ibid.

Senſibus. *Pro viſis vt ſint, quæ non ſunt ſenſibus viſa.* ibid.

Nihil egregius. *Nam nihil egregius, quàm res di cernere apertas.* ibid.

Senſibus. *Notitiam veri, neque ſenſibus poſſe refelli.* ibid.

Operaique. *Pluſculum habent in ſe rationis, plus operaique.* ibid.

Linguai. *Humida linguai circum ſudantia templa.* ibid.

Alijs. *Vt quod alys cibus eſt, alijs fuat acre venenum.* ibid.

Nenu. *Nenu queunt rapidi contra conſtare leones.* ibid.

Tenuia. *Tẽnũia, quæ facilè inter ſe iunguntur in auru.* ibid.

Endo. *Endo ſtatu, prior hæc geſtum mutâſſe videtur.* ibid.

Parmai. *Quam daret obiectum parmai læua per artem.* ibid.

Rei. *At, quod prouidet, illius rei conſtat imago.* ibid.

Corporis. *Corporis, vt hæc nauis velis, ventóque feratur.* ibid.

Degerere. *Nautæ contractũ cum ventis degerere bellum.* ibid.

Cum

Cum iam deſtiterunt ea ſenſibus vſurpare. ibid. Deſtiterunt.
Relliquias tamen eſſe vias in mente patentis. ibid. Relliquias.
Accipitres ſomno in leni ſi pralia, pugnáſque. ibid. Pugnáſque.
Multi de magnis per ſomnum rebus loquuntur. ibid. Rebus.
Vt quaſi tranſactis ſæpè omnibus rebus, profundant. ibid. Omnibus rebus.
Atque alios alij irident, Venerémque ſuadent. ibid. Suadent.
Nec molles opus ſunt motus vxoribus hilum. ibid. Opus ſunt.

Ex libro quinto de rerum naturâ.

Quidue tripectora tergemini vis Geryonaï. Geryonaï.
Atque periçula tunc ingratis inſinuandum? ibid. Inſinuandum.
Lunaïque globum: tum quæ tellure animantes. ibid. Lunaï.
Nec iacere endo manus, via qua munita fidei. ibid. Endo.
Tenuis enim natura deûm, longéque remota. ibid. Tenuis enim.
Deciderunt quoque, & in talis venêre meatus. ibid. Deciderunt.
Aſſiduúſque geli caſus mortalibus auſert. ibid. Geli.
Nec crepitacula eis opus ſunt: ——— ibid. Opus ſunt.
Nam primum quicquid fulgoris diſperit eij. ibid. Eij.
Et primum quicquid flammaï perdere ſemper. ibid. Flammaï.

Scatere.	*Largiſſimum fontem ſcatere, atque erumpere flumen.*	ibid.
Accendere.	*Accendere ex vna ſcintilla incendia paſſim.*	ibid.
Poſteriori-bus.	*Paulatim ſolem cum poſterioribus ſignis.*	ibid.
Reiciat.	*Et qui reiciat gelidis à frigoris vmbris.*	ibid.
Pilai.	*Vt faciunt, lunam qui fingunt eſſe pilai.*	ibid.
Fulgit.	*Et tamen ipſa ſuo ſi fulgit luna nitore.*	ibid.
Montibus.	*Omne, quod in magnis bacchatur montibus paſſim.*	ibid.
Variantibus.	*Aeriáſque ſimul volucres variantibus formis.*	ibid.
Abſterguit.	*Nequicquam, quoniam natura abſterguit auctum.*	ibid.
Debere.	*Multa videmus enim rebus concurrere debere.*	ibid.
Pars, &c.	*Hinc illinc par vis, vt non ſit pars, eſſe potis ſit.*	ibid.
Vnis.	*Nec ſimilis Venere ardeſcunt, nec moribus vnis.*	
Lauere.	*Lubrica, proluuie larga lauere humida ſaxa.*	ibid.
Alſia.	*Ignis enim curauit, vt alſia corpora frigus.*	ibid.
Adulant.	*Longè alio pacto gannitu vocis adulant.*	ibid.
Fulgere.	*Fulgere, cum cœli donauit plaga vapores.*	ibid.
Metutum.	*Nam cupidè conculcatur nimis ante metutum.*	ibid.
Prograxe.	*Aut morbo delirantes procraxe ferantur.*	ibid.
Quæſit.	*Non diuum pacem votis adit, ac prece quæſit.*	ibid.
Aliud.	*Sic aliud ex alio peperit diſcordia triſtis.*	ibid.

Tum

Tum mare velinolum florebat nauibus pandis. Nauibus. ibid.
Tradere; nec multo prius ſunt elementa reperta. Prius ſunt. ibid.
Namque aliud ex alio clareſcere corde videbant. Aliud. ibid.

Ex libro ſexto, de rerum naturâ.

Dididerunt quondam præclaro nomine Athenæ. Dididerunt.
Et primæ dederunt ſolatia dulcia vitæ. ibid. Dederunt.
Quidue mali foret in rebus mortalibus paſſim. Mortalibus. ibid.
Mortales, pauidis cum pendent mentibus ſæpe. Mentibus. ibid.
Ætheria nubes contra pugnantibus ventis. ibid. Pugnantibus.
Fulgere quàm cernant oculi, quia ſemper ad aureis. Fulgere. ibid. Ad auris.
Obuia diſcutiat plagis, itinérque ſequatur. ibid. Itiner.
Et potius nullæ ſibi turpis conſcius rey. ibid. Nullæ. Conſcius.
Ante videre oculi quam poſſint tenuia venti. ibid. Tenuia.
Mittunt humorem pluuium ſtillantia, quaſi igni. Stillantia. ibid.
Tum color in nigris exſiſtit nubibus arqui. ibid. Arqui.
Quàm facit; inclinatur enim retróque percellit. Percellit. ibid.
Naturam, quo fiat tantus decurſus aquarum. Fiat. ibid.

Guttaï

Guttaï. *Guttaï vix inſtar erunt vnius ad augmen.* ibid.

Multeſima. *Quàm ſit paruula pars, & quam multeſima conſtet.* ibid.

Tetulerunt. *Sunt, vbi fortè ita ſe tetulerunt ſemina aquarum.* ibid.

Eij. *Scilicet & fluuius, qui non eſt, maximus eij eſt:* ibid.

Viſui. *Is lacus & Cumas apud, & Viſui per montis.* ibid.

Aquæ. *Fit quoque, vbi in magnas aquæ vaſtáſque lacunas.*

Aquæ. *Quæ calidum faciunt aquæ tactum, atq; ſaporem.* ibid.

Peruigilij. *Peruigilij cauſa, vt Graium cecinere poëtæ.* ibid.

Potius. *Iamna ne potius his Orci regionibus eſſe.* ibid.

Deicere. *Deicere vt priuos qui morbus ſæpe ſuebit.* ibid.

Endo. Aquai. *Quod genus endo mari ſpirat fons dulcis aquai.* ibid.

Tedaï. *Conueniunt: aut cum tedaï corpori adhæret.* ibid.

Nihil Mixtum. *Nihil eſſe in promptu, niſi corpus mixtum inani.* ibid.

ſingulariter. *Quæ memorare queam inter ſe ſingulariter apta.* ibid.

Refert. *Nec refert vtrum nos in loca deueniamus.* ibid.

Alijs. *Nam quod alijs dederat, vitalis aëris auras.* ibid.

Pœnibat. *Pœnibat paulò poſt turpi morte, malâque:* ibid.

Ex Ouidio.
Ex primo libro Metamorph.

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe, Chaos.
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtáque moles. ibid.
Nilus, & antiquo ſua flumina reddidit alueo. Alueo.
Conſtiterat quocunque loco, ſpectabat ad Io. ibid. Io.

Ex ſecundo libro Metamorph.

Et celer Iſmenos, cum Phocaico Erymantho. Phocaio
Mygdoniúſque Melas, & Tænarius Eurotas. ibid. Tænarius.
Reycere ex humeris veſtem molibar; at illa. ibid. Eurotas. Reijcere.

Ex libro tertio Metamorph.

Molibar.
Nubibus eſſe ſolet, aut purpureæ Auroræ. Purpureæ
Prima fide, vocíſque ratæ tentamina ſumpſit. ibid. Auroræ. Fide.

Ex libro quarto Metamorph.

Thuráque dant, Bacchúmque vocant, Bromiúmq́, Lyæúmque. Lyæúmque.
Iactari quos cernis in Ionio immenſo. ibid. Ionio immenſo.
Pars volucres factæ.—— ibid. Pars factæ.
Pérque vias vidiſſe hominum ſimulachra ferarúmque. ibid. Ferarúmque.

Ex libro quinto Metamorph.

Fonte Meduſæo, & Hyantea Aganippe. Et Hyantea.
Eſt medium Cyanes, & Piſææ Arethuſæ. ibid. Piſææ.
Et bis, Io Arethuſa, Io Arethuſa vocauit. ibid. Io Arethuſa.
Et patriam, patria eſt claræ mihi, dixit, Athenæ. ibid. Patria eſt Athenæ.

Ex

Ex libro sexto Metamorph.

Nepotémq; — *Interséque datas iunxit natámque, nepotémque.*

Euoëque — *Exululátque, Euoeq; sonat, portásque refringit.* ibid,

Tereo — *Degenerat; scelus est pietas in coniuge Tereo.* ibid.

Ex libro septimo Metamorph.

Aurea. — *Dentibus horrendus, custos erat arboris aureæ.*

——— *Vicina iuuentus*

Iuuentus cinximus — *Venimus, & latos indagine cinximus agros.* ibid.

Ex libro octauo Metamorph.

Et Hyanteo Iolao. — *Cúmq; Pheretiade, & Hyantæo Iolao.*

Parrhasio Anceo Refert. — *Penelopéque socer, cum Parrhasio Anceo.* ibid.

Nec refert dominos illic, famulósue requiras. ibid.

Ex libro nono Metamorph.

Adijt. — *Non adijt apte nec legit idonea, credo.*

Petijt. — *Tempora, nec petijt, horámque, animámque vacantem.* ibid.

——— *Sed vitáque, fidésq;*

Vita fidéque inculpata. — *Inculpata fuit.* ibid.

Ex libro decimo Metamorph.

Myrtus Cinanámq; — *Et bicolor myrtus, & baccis cærula fœnus.*

Cinnamáque costúmq; suam, sudantáque ligno. ibid.

Ex libro vndecimo Metamorph.

Bacchei — *Tympanáque, & plausus, & Bacchei vlulatus.*

Sarculáque. — *Sarculáque, rastríque graues, longique ligones.* ibid.

Cecropio Enmolpho. — *Orgia tradiderat cum Cecropio Enmolpho.* ibid.

Ex

Ex libro duodecimo Metamorph.

Barba erat incipiens, barbæ color aureus: aurea — Aurea.

——— Populus ſuperamur ab vno Populus ſuperamur.

Vixque viro.——— ibid.

Ex libro decimo tertio Metamorph.

——— Sed enim quia rettulit Aiax Eſſe prone pos.

Eſſe Iouis pronepos———

Carnon, Iphitidémque, Alaſtoráque Chromiúmq;. Alaſtoráque.

ibid.

Alcandrúmque, Haliúmque, Noemonáque, Pritanímque. Noemonáq; ibid.

Quo ferus iniuſta petijt Agamemnona ferro. ibid. Petijt.

Omne pecus meum eſt, multæ quoque vallibus errant, Multæ ibid.

Ex libro decimo quarto Metamorph.

Has vbi præteriit, & Parthenopeia dextra. Præterijt

Ad ſtrepitum, mortémque timens, cupidúſque mori. Morii. ibid.

Noſtráque adulantes comitant veſtigia; donec. Comitant ibid.

Mox vbi mens redijt, & contempſere ſequentem. Redijt. ibid.

Et potirentur ea? Sed enim ſuperabat amando. Potirentur ea ibid.

Edidit, in iuuenem redijt: & anilia demit. ibid. Redijt

O & de Latio, ô & de gente Sabina. ibid. Latio

Ex libro decimo quinto Metamorph.

At velut illa ætas, cui fecimus aurea nomen. Aurea,

Longius inde nefas abijt, & prima putatur. ibid. Abijt

Hæc

Æneæ Circęa. Antium — *Hæc Helenum cecinisse Penatigero Ænea.* ibid.
Et tellus Circæa, & spissi littoris Antium. ibid.

Ex primo libro Fastorum.

Venus & vinum — *Non Venus, & vinum sublimia pectora fregit.*

Ex libro secundo Fastorum.

Naupacteo. — *Amphiaraides Naupacteo Acheloo:*

Ex libro tertio Fastorum.

Redijt. — *Vt redyt animus, da certa piamina, dixit.*

Ex libro quarto Fastorum.

Ilia cum Lauso sati — *Ilia cum Lauso de Numitore sati.*
Albula pota Deo. — ——*Et tanto est Albula pota Deo.* ibid.
Rhea. — *Sæpe Rhea questa est toties fœcunda, nec vnquam.* ibid.
Cultus. — *Cultus, & ornatos variè prodisse capillos,* ibid.
Obfuit.———
Io, Io, — *Illa quidem clamat, Io, Io, carissima mater.* ibid.
Exsoluisse. — *Longámque imprudens exsoluisse famem.* ibid

Ex libro quinto Fastorum

Cœlifero Atlante. — *Hinc sata Pleione cum cœlifero Atlante.*
Annuimus. consul cum consule — *Annuimus votis, consul cum consule ludos.* ibid.
Persoluere Aluco, — *Posthumio Lenas, persoluere mihi.* ibid.
Thybris arundiferum medio caput extulit aluco. ibid.

Ex libro sexto Fastorum.

Fame. — *Posse fame vinci spes excidit; hoste repulso.*

Ex libro primo Tristium.

Caue. — *Tu caue defendas, quamuis mordebere dictis:*
Telegonásq; — *Oedipodas facito, Telegonásque voces.* ibid.

Idque,

Idque, quod ignoti faciunt, valedicere ſaltem. Vale dicere
ibid.

Ex libro ſecundo Triſtium

Acceptum refero verſibus eſſe nocens. Eſſe nocens.
Vnquam te noſtros euoluiſſe iocos. ibid. Euolu ſſe.

Ex libro tertio Triſtium.

Et longa periit arida facta ſiti. Perijt.

Ex libro quarto Triſtium.

Magna, minórque fera, quarum regis altera Grai-as. Magna mĩnorque ferę
Altera Sidonias, vtraque ſicca rates.
Qui duo corporibus, mentibus vnus erant. ibid. Erant Vnus
Nec temerè in medijs diſſoluantur aquis. ibid. Diſſoluantur

Ex libro quinto Triſtium.

Hanc tuus è Getico mittit tibi Naſo ſalutem: Salutem, quę.
Mittere ſi quiſquam, quo caret ipſe, poteſt.

Ex libro primo de Ponto.

Eſtur vt occulta vitiata teredine nauis. Eſtur
Quiſque loquar tecum, certor eſſe velis. ibid. Quiſq; loquar
Theſſalicúmque adijt hoſpes Achillis humani. Adijt.
ibid.
Durius eſt igitur noſtrum fidiſſima coniux,
Illo, quod ſubijt Æſone natus, onus. ibid. Subijt.

Ex libro ſecundo de Ponto.

Turpe putas abici, quia ſit miſerandus, amicum. Abici.

Ex libro tertio de Ponto.

Morte nihil opus eſt, nihil Iraricti de tela. Nihil.
Quam legis à nobis miſſum tibi, Cotta, ſalutem. Salutem.
Miſſa ſit vt verè, pernecnidique precor. ibid.

Ex libro quarto de Ponto.

Perijt. *Si modò, qui peryt, ipſe perire poteſt.*

In Ibin.

Ipſe ſumme æther. *Ipſáque tu tellus, ipſum cum fluctibus æquor,*
Ipſe meas æther accipe ſumme preces.
Chao *In noſtrum cuncti tempus, adeſte Chao.* ibid.
Quiſquis dicite. *Quiſquis ades ſacris lugubria dicite verba:*
Adite quiſquis. *Et fletu madidis Ibin adite genis.* ibid.
Imbuerunt *Gutturáque imbuerunt infantia lacte canino.* ibid.
Victor. *Vt quos obſcuris victor ambagibus oris.* ibid.

Ex Epiſtolis Heroidum.

Phædra Hippolyto.

Menalia *Arſit & Oenides in Menalia Atalanta.*
Vterque ſumus læſi. *In magnis læſi rebus vterque ſumus.* ibid.

Hypſipyle Iaſoni.

Aureo *Non erat hîc aries villo ſpectabilis aureo,*
Perſoluenda. *Nunc quoque te ſaluo perſoluenda mihi.* ibid.

Hermione Oreſti.

Amyclæo *Caſtori Amyclæo, & Amyclæo Polluci.*

Deianira Herculi.

Cupreſſifero &c *Vt Tegeæus aper cupreſſifero Erymantho.*
Expulſa' *Forſitan expulſa Ætolide Deianira.* ibid.
Inſani Alcidę. *Eurytidósque Ioles, atque inſani Alcidæ.* ibid.

Oenea deſertum longa ſenecta premit. ibid. Oenea.

Canace Macareo.

Ille Noto, Zephyróque, & Sithonio Aquiloni. Sithonio.

Medea Iaſoni.

Aureus ille aries villo ſpectabilis aureo. Aureo.

Laodameia Proteſilao.

Troadas inuideo, quæ ſic lachrymoſa ſuorum. Troadas

Hypermneſtra Lynceo.

Quo mihi commiſſo non licet eſſe piam, Mihi piam.

De fratrum populo pars exiguiſſima reſtat. ibid. Exiguiſſima.

Exul Hypermneſtra, pretiũ pietatis iniquum. ibid. Hypermneſtra.

Sappho Phaoni.

Candida ſi non ſum, placuit Cepheïa Perſeo. Perſeo.

Conſcia delicijs illa fuere meis. ibid. Delicijs.

Vt monuit: cum voce abijt: ego territa ſurgo. Abijt. ibid.

Ex libro primo Amorum.

Ipſe deus vatum, palla ſpectabilis aurea. Aurea

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor. ibid. Turpe.

Ex libro ſecundo Amorum.

In manibúſque Iouem, & cum Ioue fulmen habebam. Iouem (m) longum omiſſa ſynalœpha, vel Eclipſi.

Nauita ſollicitus, & ventos horret iniquos. ibid. Nauita ſollicitus.

Quaque celer lato Nilus delapſus ab alueo. ibid. Alueo.

Quid mihi fortuna, quæ nunquam fallere poſſit? Fortuna. ibid.

Ex libro tertio Amorum.

Orpheo. *Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?*

Ex libro primo de arte Amandi.

Clio, Cliásue &c. *Non mihi sunt visæ Clio, Cliúsue sorores.*

Alter è vobis *Num deus è vobis alter es, alter eris.* ibid.

Illa dies. *Ergo erit illa dies, qua tu pulcherrime rerum.* ibid.

Pulcherrime rerum

Ex libro secundo de Arte Amandi.

Nonacrina *Quid fuit asperius Nonacrina Atalanta?*

Inter *Inter Ionicas calathum tenuisse puellas.* ibid.

Leandre *Sæpe tua poteras Leandre carere puella.* ibid.

Vterque impliciti. *Implicitis laqueis nudus vterque iacet.* ibid.

Ex libro tertio de Arte Amandi.

Talaonie *Si scelere Oedipodes Talaonie Eryphiles.*

Præterijt. *Nec, quæ præteryt, hora redire potest.* ibid.

Latmius *Latmius Endymion, non est tibi luna rubori.* ibid.

Vestes fuit *Quas geritis vestes sordida luna fuit.* ibid.

Theseo. *Parcite Cecropides iurauit credere Theseo.* ibid.

Turpe iacens mulier, multò, madefacta Lyæo. ibid.

Ex libro secundo de Remedio Amoris.

Turpe vir, & mulier iuncti modò, protinus hostes.

Ex Horatio.

Ex libro primo Carminum.

Vxorius amnis.

Videsut altum stet nive candidum

Soracte.

Ex

Ex libro ſecundo Carminum.

Diſſidens plebi numero beatorum. Beatorum.
Forma captiuæ dominum Tecmeſſæ. ibid. Tecmeſſæ.
Nec leues ſomnos timor, aut cupido Cupido ſordidus.
——— *Sordidus aufert.* ibid.
Mugiunt vaccæ, tibi tollit hinnitum. ibid. Hinnitum.

Ex libro tertio carminum.

Iam virum experte : male ominatis. Male.
Mox vbi luſit ſatis, abſtineto Abſtineto.
Dixit irarum, calidæque rixæ. Irarum.

Ex libro quarto Carminum.

Aureos deducit in aſtra, nigróque. Nigróque.
Donatura cygni, ſi libeat ſonum. ibid. Cygni.

Ex Carmine ſeculari.

Romulæ genti date rémque prolémque. Prolémq;.

Ex libro primo Epiſtolarum.

Vade, vale, cane ne ulules, mandatáque frangas. Caue.
Vir bonus, & prudens dici delector ego, ac tu. ibid. Ego ac tu delector.

Ex libro ſecundo Epiſtolarum.

Atque inter ſyluas Academi quærere verum. Academi.
Vehemens, & liquidus, puróque ſimillimus amni. Vehemens.

Ex libro primo Sermonum.

Quid ſit Mecænas, vt nemo, quàm ſibi ſortem Sortem.
Seu ratio dederit, ſeu fors obiecerit, illa
Contentus viuat ?
Diuiſit medium ſortiſſima Tyndaridarum. ibid. Tyndaridarum.
——— *Macte* Macte.
Virtute eſto, inquit ſententia dia Catonis. ibid. Dia.

Bacche. *Vſque ad mala citaret. Io Bacche, modò ſumma.* ibid.

Fide. *Prodiderit commiſſa fide? ſponſúmue negarit?* ibid.

——— *Cum mea nemo*

Mea ſcripta timentis. Sonaturum. *Scripta legat, vulgo recitare timentis.*—— ibid. *Magna ſonaturum, des nominis huius honorem:* ibid.

Sueta. *Cum mihi non tantum furéſque feræque, ſueta.* ibid.

Cerea. *Abdiderint furtim terris? & imagine cerea.* ibid.

Dulciſſime rerum. *Quid agis dulciſſime rerum?* ibid.

Subijt. *Cum grauius dorſo ſubijt onus. incipit ille.* ibid.

—— *Male ſalſus*

Ridens diſſimulare. Bilis vrere. *Ridens diſſimulare: meum iecur vrere bilis.* ibid.

Ex libro ſecundo Sermonum.

Oſtrea. *Sudando. pinguem vitijs, albúmque, nec Oſtrea.*

Tergĕre. *Hoc potius, quàm gallina tergĕre palatum.* ibid.

Erat. *Gallonis præconis erat acipenſere menſa.* ibid.

Morbi purgatum. *Et morbi miror purgatum te illius. Atqui.* ibid.

Caue. *Tu caue ne minuas, tu, ne maius facias id.* ibid.

Caue. *Laudato; ſcortator erit, caue te roget: vltro.* ibid.

Euaſti. *Euaſti? Credo, metues, doctúſque cauebis.* ibid.

Stridĕre. *Stridere ſecreta diuiſos aure ſuſurros.* ibid.

Ex Arte Poëtica.

Pater & iuuenes decipimur. *Maxima pars vatum (pater, & iuuenes patre digna).*

Decipimur ſpecie recti, ———

——*In Metij deſcendat iudicis aures,*
Et patris, & noſtras. Patris & noſtras.

Ex Perſio.

Quis expediuit pſittaco ſuum χαιρε ? Suum
Tunc, cum ad canitiem, & noſtrum illud viuere triſte ibid. χαιρε ? Triſte viuere.
Aſpexi. ——
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire, hoc ſciat alter. ibid. Scire tuum.
Vos ô patritius ſanguis, quos viuere fas eſt. ibid. Patritius ſanguis.
Cenſoremue tuum, vel quod trabeate ſalutas. ibid. Trabeate.
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno. ibid. Velle ſuum.
Iam cras heſternum conſumpſimus, ecce aliud cras. ibid. Cras heſternum.
Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetauit. ibid. Vetauit.
Non prætoris erat ſtultis dare tenuia rerum. ibid. Tĕnŭis.
Lunaï portum eſt operæ cognoſcere ciues. ibid.

Ex Iuuenali.

Ex Satyra prima.

Ingenium par materiæ ? vnde illa priorum. Materiæ.

Ex Satyra tertia.

Ede vbi conſiſtas, in qua te quæro proſeucha. Proſeucha.

Ex Satyra quinta.

Quis melior plorante gula ? ergo omnia ſiunt. Gula.

Ex Satyrâ ſextâ.

Ludium. *Nupta ſenatori comitata eſt Hippia ludium.*
Sua. *In ſtatione ſua, atq; expectantibus illam.* ibid.
Caduceo. *Magnáque debetur violato pœna caduceo.* ibid.
Obit. *Magnus ciuis obit, & formidatus Othoni.* ibid.

Ex Satyrâ decimâ.

Periit. *Conſiſus periit, admirandiſque lacertis.*

Ex Satyrâ duodecimâ.

Belli. *Partem aliquam belli, & eandem in prælia turmam.*

Ex Satyrâ decimâ quintâ.

Abijcit. *Hunc abijcit, ſæua dignum, veráq; Charybdi.*

Ex Martiali.

Ex libro primo Epigrammatum.

Grande ſophos. *Audieris cum grande ſophos, dum baſia captas.*
Matutinum Aue. *Et matutinum portat ineptus, Aue.* ibid.
Chiragra Denarijs. *Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.* ibid.
Denarijs tibi quinque Martialem. ibid.

Ex libro ſecundo Epigrammatum.

Vt audiam. *Et ſecum ſic, vt audiam, ſuſurrat.*

Ex libro quinto Epigrammatum.

Smaragdos. *Sardonicas, ſmaragdos, adamantas, iaſpidas vno*
Portat in articulo ſtella, Seuere, meus.
Quàm longè cras iſtud vbi eſt? ibid.

Ex libro ſexto Epigrammatum.

A te Iuno petat Ceſton, & ipſa Venus.

Ex libro ſeptimo Epigrammatum.

Delectat Marium ſi perniciosus ichneumon.

Ex

Ex libro nono Epigrammatum.

Dicunt Earinon tamen poëtæ, Earinon.
Sed Græci. quibus eſt nihil negatum;
Et quos ἄρες, ἄρες decet ſonare.
Denarijs tribus inuitas & mane togatum. ibid. Mane togatum.

Ex libro vndecimo Epigrammatum.

Lucili Columela hic ſitus Metrophanes. Situs.

Ex libro duodecimo Epigrammatum.

Et credit cui Poſt humilla diuis. Cui.
Affecit dormicænio clientem. ibid. Dormicænio.

Ex libro decimoquarto Epigrammatum.

Tenuia ne madidos violent bombicina crines, Tenuia.
Figat acus tortas, ſuſtineátque comas.

Ex Lucano.

Ex libro primo Pharſaliæ.

——*Hinc leges & plebiſcita coacta.* Coactæ.

Ex libro quarto Pharſaliæ.

Et tepidum in molles Zephyros excurrit Iader. Tepidum Iader.

Ex libro ſexto Pharſaliæ.

Si tibi durus Iber, aut ſi tibi terga dediſſet. Iber.

Ex libro ſeptimo Pharſaliæ.

Et damnata diu Romanis Allia faſtis. Allia.
Ipſe manu ſubijcit gladios, ac tela miniſtrat. ibid. Subijcit.

Ex libro octauo Pharſaliæ.

Zeugmáque Pellæum Pompeio vincite Parthi, Zeugma.
Nomen abit, aut vnde redit maiore triumpho. ibid. Abit.
Cur obijcis Magno tumulum magnéſq; vagantes. ib. Obijcis.

Ex

Ex libro nono Pharſaliæ.

Obijcit. *Pompeiúmque deis obijcit) quàm pauca Catonis.*

Obit. *Cinis obit (inquit) multò maioribus impar.* ibid.

Adit. *Torpentem Tritonos adit illæſa paludem.* ibid.

Adit. *Orbis adit Aſiam, nam cum communiter iſte.* ibid.

——tutúmque putauit ibid.

Bonus eſſe ſocer. *Iam bonus eſſe ſocer.*

Ex Catullo.

Ex Carmine primo.

Quoi. *Quoi dono lepidum nouum libellum:*

Meas. *Meas eſſe aliquid putare nugas.* ibid.

Quare habe. *Quare habe tibi quicquid hoc libelli eſt.* ibid.

Ex Carmine ſecundo.

Quoi. *Quoi primum digitum dare adpetenti.*

Soluit. *Quod Zonam ſoluit diu ligatam.* ibid.

Male. *O factum malè, ô miſelle paſſer.* ibid.

Tua. *Tua nunc opera meæ puellæ.* ibid.

Ex Carmine ſeptimo.

Tuæ. *Tuæ, Leſbia ſint ſatis, ſupérque.*

Ex Carmine vndecimo.

Pauca nuntiate. *Pauca nuntiate meæ puellæ.*

Culpa Velut. *Qui illius culpa cecidit, velut prati.* ibid.

Ex Carmine duodecimo.

Diſertus. *Diſertus puer, ac facetiarum.*

Ex Carmine 21.

Ne meus puer & ſitire diſcat. Ne meus.

Ex Carmine 22.

Sed non videmus, manticæ quod in tergo eſt. Manticæ quod.

Ex Carmine 25.

Remitte pallium mihi meum, quod inuolaſti. Remitte.

Ex Carmine 33.

Amabo mea dulcis Hypſithilla. Amabo.

Meæ deliciæ, mei lepores. ibid. Meæ.

Iube ad te veniam meridiatum. ibid. Iube.

Neu tibi libeat foras abire. ibid.

Sed domi maneas, paréſque nobis. ibid. Sed Domi.

Ex Carmine 35.

Quam mater prope Deliam. Prope Deliam.

Depoſiuit oliuam. Depoſiuit.

Ex Carmine 36.

Poëtæ tenero, meo ſodali. Poëtæ.

Velim Cæcilio (papyre) dicas : ibid. Velim.

Amici accipiat ſui, meique. ibid. Amici.

Euntem reuocet, manuſque collo. ibid. Euntem.

Ex Carmine 37.

Scripta tardipedi deo daturam. Scripta.

Ioco ſe, lepide vouere Diuis. ibid. Iocoſe.

Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos. ibid. Colis.

Ex Carmine 41.

Quænam te mala mens, miſelle Rauide. Rauide.

Agit præcipitem in meos Iambos. ibid. Agit.

Ex Carmine 43.

Adeſte hendecaſyllabi, quot eſtis. Adeſte.

Ex

Ex Carmine 45.

Recepſo, Grauedinem. *Sexti recepſo, quin grauedinem & tuſſim.*

Ex Carmine 56.

Forte. *Oramus, ſi fortè non moleſtum eſt.* ibid.
Te in. *Te in circo, te in omnibus tabellis.* ibid.
Fœmellas. *Fœmellas omnes amice prendi.* ibid.
Vidi tamen. *Quas vultu vidi tamen ſereno.* ibid.
Sic ipſe. *Has vel te ſic ipſe flagitabam.* ibid.
Gaudet. *Verboſa gaudet Venus loquela.* ibid.

Ex Carmine 58.

Lectulo. *Uno in lectulo erudituli ambo.*

Ex Carmine 67.

Hymenæo. *Qua rex tempeſtate, nouo auctus Hymenæo.*

Ex Carmine 68.

In hiſce ſequentibus Pentametris prior penthemimeris deſinit in media ſyllabã. *Speraret nec linguam eſſe, nec auriculam.* ibid.

Ex Carmine 69.

Ceſſarent, neq́, triſti imbre madere genæ.
Quam veniens vna atq́, altera rurſus hiems. ibid.
Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis. ibid.
Nobis vnis. *Quare illud ſatis eſt, ſi nobis id datur vnis.* ibid.

Ex Carmine 71.

Illam affligit odore, ipſe perit podagra.

Ex Carmine 74.

Quam modo qui me vnũ, atq́, vnicũ amicũ habuit.

Ex Carmine 76.

Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

Ex Carmine 78.

Mi miſero eripuiſti omnia noſtra bona.

Ex Carmine 83.

Eripere ei noli, multo quod carius illi. Eripere ei.

Ex carmine 89.

Non genitor Nympharum abluat Oceanus.

Ex Carmine 91.

Si vera eſt Perſarum impia religio.

Ex Carmine 92.

Culpa eſt, in quacunque eſt aliquid ſceleris.

Ex Carmine 98.

Non ita me dij ament, quidquam referre putaui, Dij Referre
Vtrúmne os, anculam olfacerem Æmilio. Culum.

Ex Carmine 100.

Guttis abſterſiſti omnibus articulis:
Non ceſſaſti, omniqu' excruciare modo. ibid.

Ex Carmine 102.

Et mutum ne quicquam alloquerer cinerem.

Ex Carmine 105.

Sed tu cum Caupone omnia monſtra facis.

Ex Carmine 108.

Si quidquam cupido, optantique obtigit vnquam. Optantique

Ex Carmine 115.

Aucupia omne genus, pi'ces, prata, arua, ferá'ſque. Aucupia omne genus.

Ex Carmine 116.

Prata, arua, ingentes ſyluas, ſaltúſque, paludéſque. Pa'udéſque.

Omnia magna hæc ſunt, tamen ipſe eſt maximus luſtro. Maximus ibid.

Ex Carmine 117.

At fixus noſtris tu dabis ſupplicium. Dabis,

Infinita

Infinita fere ſunt huiuſmodi in hoc Poëta, & alijs priſcis obſeruanda, (nos enim pauca è multis excerpſimus, breuitati ſtudentes), præſertim in hiſce Phaleucijs, vbi nihil eſt frequentius, quàm pedis pro pede ſubſtitutio & tranſmutatio, id quod à pueris eſt diligentiſſimè annotandum. Occurrunt etiam diuiores vocalium & dipthongorum aliarúmque interdum literarum eliſiones, eliſionúmque prætermiſſiones, aliáque huiuſmodi multa, quæ prudens relinquam ſtudioſis inter legendum colligenda. Pergam igitur ad alios Poëtas vſitatiores, vbi longè ero breuior, vt laborioſo & locupleti huic indici finem tandem imponam.

Ex Tibullo Libro primo.

Ex Elegia 4.

Ah ſi tardus eris, errabis. tranſiet ætas.

Eris. Tranſiet. — Ex Elegia 5.

Et tantum venerata virum, hunc ſedula curet.

Virum. — Ex Elegia 8.

Stamina, non vlli diſſoluenda deo.

Diſſoluenda. *Pectora triſtitiæ diſſoluenda dedit.* ibid.

Diſſoluenda. — Ex Elegia 11.

Diſſoluiſſe. *Sit ſatis, ornatas diſſoluiſſe comas.* ibid.

Ex libro 2. Elegia 1.

Areis. *Tunc nitidus plenis conſiſus ruſticus areis.*

Rure

Rure leuis verno flores apis ingerit alueo. ibid. Alueo.

Ex Elegia. 3.

Nec cithara, intonsæ profuerúntue comæ. Profuĕrunt

Ex Elegia. 5.

Vera cano: sic vsque sacras innoxia lauros Lauros
Vescar, & æternum sit mihi virginitas. Vescar. Virginitas
Hæc fuerunt olim. Sed tu iam, mitis Apollo. ibid. æternum. Fuĕrunt.

Ex Elegia. 6.

Eheu diuitibus video gaudere puellas. Eheu.

Ex libro quarto, Carm. 1.

Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces. Cimmerion.

Ex Carmine 2.

Hoc Venus ignoscet. at tu, violente caueto. Ignoscet.

Ex Carmine. 5.

Seruitium: & dedĕrunt regna superba tibi. Dedĕrunt
Nulla potest posthæc quam soluisse dies. Soluisse.

Ex Propertio. Lib. 1.

Ex Elegia 5.

Quærere. non impunè illa rogata venit.

Ex Elegia 10.

Tu caue ne tristi cupias pugnare puellæ.
Neu si quid petiyt; ingrata fronte negaris. ibid. Caue. Petijt.

Ex Elegia 13.

Non sic Æmonio Salmonida mistus Enipeo. Enipeo.

Ex libro. 2. Elegia. 2.

Hæc tibi contulĕrunt cœlestia munera diui. Contulĕrunt.

Ex

Ex Elegia. 8.

Steterunt. *Et Thebæ ſteterunt altáque Troia fuit.*

Feruere *Feruĕre & Hectorea Dorica caſtra face.* ibid.

Ex Elegia. 9.

Tuum. *Solus ero, quoniam non licec eſſe tuum.*

Ex Elegia 14.

Electra *Nec ſic Electra ſaluum cum aſpexit Oreſtem.*

Ex Elegia 28.

Feruere *Incipit & ſicco feruĕre terra cane.*

Inter *Et tibi Meonias inter Heroïdas omnes.* ibid.

Ex Elegia 33.

Tu quoque ô Eurytion vino Centaure petiſti.

Ex libro 3.

Ex Elegeia 4.

Prometheo. *O prima infœlix fingenti terra Prometheo.*

Ex Elegia 10.

Condiderunt. *Hæc dij condiderunt.* ——

Ex Elegia 12.

Polymneſtoris. *Teſcelus accepto Thraſis Polymneſtoris auro.*

Ex Elegia 18.

Induit abiegnæ. *Induit abiegnæ cornua falſa bouis.*

Enipeo. *Teſtis Theſſalico ſi gravans Salmonis Enipeo.*

Ex Elegia 23.

Exciderunt. *Exciderunt ſurdo tot mea vota Ioui.*

Ex

Ex libro quarto.

Ex Elegiâ 1.

Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabij. ibid. Gabij.
Læserat abiegni venter apertus equi. ibid. Læserat abiegni.
Tunc animi venere Decij, Brutíq; secures. ibid. Decij.

Ex Elegiâ 7.

Eosdem habuit secum, quibus est elata capillos. Eosdem.

Ex Elegiâ 8.

Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit. Eosdem.
Palluerunt ipso labra soluta mero. ibid. Palluerunt.

Studioso Lectori.

Admonendus es (studiose Lector) non omnia, quæ in hoc indice vberrimo cõgeruntur, loca & testimonia ad vnum & eundem finem referri debere. Adscripsimus enim ad marginem maioris facilitatis gratiâ (vt vel rudissimis prodesse possit hic labor) ea vocabula, in quibus aliqua lateat difficultas, aut dubitationis occasio. In his autem quædam ad durioris constructionis rationem maximè spectare videntur. Sunt verò alia, quæ ad quatuor partium orationis declinabilium genera, numeros, declinationes, coniugationes, modos, tempora, referuntur, reliquáque earundem accidentia siue attributa. Denique sunt alia in quibus carminis est habenda ratio, pedum spectanda substitutio, siue transmutatio, Elisiones, vel admissæ, vel omissæ examinandæ: syllabarum denique diligentissimè obseruandæ

ſexuanda quantitas; in quibus omnibus ſi non poſſint ſemper rei literariæ tyrunculi per ſeſe citati loci mentem & finem perſpicere, non pudeat vel pigeat præceptorum benigniſsimorum aliorúmue doctiorum opem & auxilium implorare. Atque hâc ratione tandem eueniet, vt promptiores & paratiores euadant ad omnia ſophiſtarum argumenta, & confutanda & diſſoluenda, regulásque Grammaticales rectè dextréque intelligendas, & enucleandas: quem ego finem & ſcopum in hiſce elaborandis & defudandis mihi ſemper ob oculos habui propoſitum. Quare

—— Si quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum

EST ET HAEC NOVA PRORSVS
disputatio, & hîc demùm adiecta ob in-
expectatam Typographi propera-
tionem, quæ aliâs suo loco
fuisset interserenda.

An omnia in (u) *finita sint semper longa sine vlla prorsus exceptione?*

Præfatiuncula.

Quæst. Cum hactenùs obnixè manibus, pedibúsque (quod aiunt) variis allatis obiectiuncularum formulis omnes ferè Grâmaticæ regiæ regulas oppugnauerim, falsitatísque conuincere, & arguere conatus fuerim; non eo quidem animo, vt quem, velim de illarum fide & certitudine dubitare, & hæsitare, sed vt hâc via potiùs & ratione puerorũ in Scholis triuialibus ingenia exercerem, illorúmque indolem exacuerem & incitarem, ad similes aliorum fraudes, captionésque diluendas; turpe putaui, inertis poëtæ instar, in extremo iam ferè actu, quasi lassus & conuictus aufugere, tametsi contra te, & Grammaticam tuam id ecertando nihil penè huc vsque perfecerim. Stat itaque sententia, hîc, aut cum sudore, quod conor, euincere, aut cum pudore deficere. Nôsti (opinor) tu vltimam illam, & extremã Grammaticæ tuæ Lilianæ regulam: Denique (*n*) finita producuntur omnia?

Resp.

Resp. *Quippe ni?*

Quæst Nôsti ergo quid ea statuat de *(u)* finitis omnibus.

Resp. *Quippe ni?*

Quæst. Num ergo & mentiri eandem nôsti?

Resp. *Te quidem.*

Quæst. Ego mihi fidem non haberi postulo, nisi euincam manifestò, & quod cupio, (voles, noles) extorsero.

Resp. *Quid? Num ab Hercule clauam?*

Quæst Imò à te veritatem, huic regulæ contra dicentem.

Resp. *Quin ergo incipis extortor?*

Quæst. Quin ergo taces calumniator?

Resp. *Mutus sum.*

Quæst Sic ergo insurgo contrà. Produci & corripi sunt idem: (*u*) finita producuntur, ergo corripiuntur, id est, breuia sunt.

Resp. *Certè aut ridicula est hæc argumentatio, aut ego nihil sentio, nec sapio.*

Quæst. Quin tu, si in meam abeas sententiam, senties sanè satis, verúmque sapies. Quid autem? Negas ne mihi conclusionem? Aliud sanè non est, quod neges.

Resp. *Imò aliud. Si enim ex ignorantiâ idem esse dicas, produci, & corripi, te sanum esse nego: sin sciens hoc asseras, egregiè impudentem esse facilè concedo Adeóne tu hebes es, vt cum legas apud Grammaticam, eandem syllabam posse aliquando corripi,*

aliquando autem produci, exinde colligas, idem esse corripi & produci.

Quæst. Imò in illâ regulâ de dictionibus in (*l*) finitis, quas Grammatica breues esse affirmat paucis quibusdam exceptis, in quibus exempli gratiâ ponit vocabulum (Sol), ego idem vocabulum semper apud probatos poëtas productum reperio.

Resp. *Sic quidem docet Grammatica. Tu verò, qui contrarium statuis, vno atq; altero exemplo allato ostende hanc dictionem (Sol) produci.*

Quæst. Nihil est factu facilius. Sic enim Virgilius primo Georgicorum:

Per duodena regit mundi sol aureus astra.

Et libro quarto:

Quod superest, vbi pulsam hyemem sol aureus egit
Sub terras. ———

Nec puto te posse vnquam ex probato aliquo Poëta docere vocabulum (Sol) corripi.

Resp. *Est igitur error Typographicus, & Sal pro Sol legi debere existimo.*

Quæst. Certè mirum est, si error tam conspicuus, omnibus omnium impressionum libris obreperet: tum verò contra te facit, quòd Grammatica non excipit hoc vocabulum ab ista regula, quod sanè facere debuisset. Sed ego hoc vlcus vlterius non tangam, & seriò tandem agam.

Resp. *At hoc iam factum oportuit. Sciant tamen seuera studiosi adolescentes mendum hoc esse in*

Grammatica

Grammatica noſtra, & loco dictionis (Sol) debere in hâc regulâ reponi vocabulum Sal. Solutio.

Quæſt. Benè quidem ſe res habet, ſed vt alio iam vtar argumento, menſura (quæſo) mihi (niſi quod potiùs credo, non potes) hunc Lucretij verſiculum. 2. Obiectio.

Quidùe mali foret in rebus mortalibus paſſim.

Reſp. *Poſſum quidem. Nam (s) in (mortalibus) eliſo & ſublato, nihil manet difficultatis.*

Quæſt. Imò vel maxima. Sic enim (quod ego probandum in me ſuſcepi) *u* finitum erit breue.

Reſp. *Non poteſt dici (u) finitum, etſi (s) tollatur in ſcanſione. Ergo debet eſſe breuis non minùs quàm ſi (s) maneret ſequenti vocali.*

Quæſt. Ergo vbicunque (*s*) tollitur, eadem manet quantitas ac ſi non tollatur.

Reſp. *Rem omnem tenes.*

Quæſt. Si ergo (*s*) tollatur in (fluctibus), quanta (*u*) erit?

Reſp. *Breuis ſanè.*

Quæſt. At ſi (*s*) maneret, eſſet longa, vt vult Grammatica tua. Nam producuntur (inquit ea) omnes caſus obliqui in (*us*) quartæ inflectionis, excepto vocatiuo & nominatiuo ſingulari.

Reſp. *Imò excipiendi ſunt etiam datiui & ablatiui plurales in* (us) *in hac declinatione.*

Quæſt. Sed non excipit illos caſus Grammatica, nedum excipiendos putat, niſi fortè errat.

Solutio superioris argumenti.

Nam inquit: omnes casus obliqui in (*us*) præter illos duos casus, nominatiuum scilicet, & vocatiuum singulares. Sed cum videam in quas detrusus sis angustias, non vrgebo te diutius hoc argumento. Is enim re vera est sensus illius regulæ, tametsi expressis verbis non ita statuatur. Atque hanc quidem ob caussam sunt hæc quæ prius adduxi, tam altè repetita argumenta, nempè vt nôrint iuniores, (Sol) in regulâ de (*l*) finitis corruptè poni pro (sal); & in regula finiẽtium in (*us*), intelligẽdos etiam esse datiuos & ablatiuos plurales in (*us*) semper esse regulariter breues, tametsi non expressè ita doceatur in Grammaticâ regiâ. His itaque omissis, iam illud vrgebo, quod apertissimè faciat contra hanc regulam de exeuntibus in (*u*).

Resp. *Videamus tandem quid illud sit.*

Quæst. Tale est profectò, vnde te puto non posse vlla ratione euadere, quin constrictus & implicitus vndique teneare. Docebo enim exemplis (quæ affirmat Grammatica tua esse firmiora omnibus regulis) *u* finita aliquando corripi: non esse igitur vniuersaliter sine vlla exceptione verum: *u* finita producuntur omnia.

Resp. *Nimis es tu profectò verbosus. Paucis ergo illud doce, quod tam multis, & tam audacter hactenùs affirmasti, vt ita tandem tibi meritò habeatur fides.*

Quæst.

Quæſt Dic ergo quomodo tuo palato arrideat hoc carmen? Tertia obiectio.

Nemo poteſt igitur paruiſſima corpora proquàm.

Reſp. *Quis huius carminis eſt author?*

Quæſt. Lucretius, venerandæ antiquitatis author ſatis notus, altioriſque philoſophiæ, eruditioniſque reconditioris ſcriptor verè admirandus & diligendus. Aliud argumentum.

Reſp. *Eſt tamen valdè obſcurus, & proſcriptorum veterum more & conſuetudine, multa ſibi ſumit tam obſoleta & antiquata, magnáque vtitur libertate ſeu potiùs licentia in eliſionibus duriuſculis vel admittendis vel omittendis, apud quem, infinitis ferè in locis literas* (s) & (d) *eliſas reperies: conſonantem verò* (m) *ſequente vocali multoties ſine eliſione vſurpat, aliáq; multa habet notanda potiùs quàm imitanda, quemadmodum hoc ipſo in loco ſuperlatiuum paruiſſima inuſitatum admodum, & valdè rarum, pro quo iam frequentiſſimo in vſu eſt ſuperlatiuus irregularis minimus.* In lectione Lucretij multa notanda potiùs quàm imitanda.

Quæſt. Quid hæc omnia ad rem præſentem faciunt? Hìc enim ſatis manifeſtè & apertè vides (*u*) corripi contra regulam, ad quod tandem quid reſpondes? Iam enim ſine fraude & dolo (quæ mihi ſæpiùs obijcere ſoles) quod inſtitui, probaui, vel teipſo iudice.

Reſp. *Vnicum eſt hoc exemplum. Pictoribus etiam atque Poetis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

Quæſt.

Hac ratione elabi non potes. Sic enim alibi idem Poëta:

Lib. 4. *Nenu queunt rapidi contra conſtare leones.*

Alij legunt Hunc, nequeunt. Non valet igitur tritum hoc reſponſum. Nec ſi magna concedatur tam Poëtis, quàm Pictoribus, fingendi & pingendi libertas, eadem quoque debet illis in ſcribendo tribui poteſtas.

Reſp. *Poteram hic me tueri, ſi ad varias in hiſce carminibus lectiones quas alij ſequuntur confugerem, ſed quia doctiſſimi Giſanio hanc lectionem quàm maximè placere video, (licet viri vndiquaq; doctiſſimi aliter legant), qua ratione defendi poſſit hæc inſolens loquendi libertas non video, niſi fortè dixero rariſſimam & inuſitatiſſimam eſſe Syſtolen, per quam* (u) *in vtroque hoc exemplo contra regulam corripiatur, cum alioqui longa ſemper eſſe debeat.*

Soluto probabilis.

Quæſt. Ego quoque nihil hîc ſtatuam, ſed hoc totum relinquam virorum doctiorum iudicio. Pergant iam (ſi volunt) alij, ſi prius admonuero ſtudioſos adoleſcentes vocabulum nenu, in his locis, & apud Nonium vſurpari pro non, more veterum.

* *
*

Ad beneuolum Lectorem *de erratis Typographicis.*

Pauca parùm cautos operarum errata labores
Si vitiant: facilis corrige (quæso), vale.

LONDINI
Excudebat *Iohannes Battersbie* Sereniſſimæ Regiæ Maieſtati in *Latinis, Græcis & Hæbraicis Typographus.*
1619.